BEATI

PETRI CANISII S. J.

INSTRUCTIONES DOMESTICÆ.

060.2
C

BEATI

PETRI CANISII S. J.

EXHORTATIONES DOMESTICÆ

COLLECTÆ ET DISPOSITÆ

A

GEORGIO SCHLOSSER,

EJUSDEM SOCIETATIS PRESBYTERO.

ALMA COLLEGE
060.23
LIBRARY
C153
Alma, California

RURÆMUNDÆ,
TYPIS J. J. ROMEN ET FILIORUM
TYPOGRAPHI PONTIFICII.

1876.

15672

PRÆFATIO.

Habes hic, amice lector, fasciculum quendam florum spiritualium, quos ex manuscriptis B. Petri Canisii, in archivo Provinciæ Germaniæ asservatis, excerpsi. Inter hæc enim multis locis sparsas reperi complures exhortationes a B. Patre ad nostros habitas. Quas quum propriæ utilitatis gratia, non sine magno labore, pervolverem, multumque lucis et delectationis inde perciperem, facile intellexi, me tot[i] Provinciæ nostræ, immo et Societati universæ, rem gratissimam esse facturum, si eas, quantum in me esset, typis edendas curarem; nimirum ut omnibus essent quasi memoriale altissimæ et Deo plenissimæ mentis tanti hujus viri, tum etiam subsidium, quo ad cognoscendum et æmulandum ejus spiritum maxime juvarentur. Unum illud dolebam, quam plurimas id genus domesticas exhortationes, quas præsertim de regulis per annos complures, more Societatis, habuit (id quod non dubiis indiciis comperi), vel amissas fuisse, vel a ceteris ejus scriptis distractas, certe a me reperiri adhuc minime potuisse. Sed quo gravius illarum jacturam ferebam, eo magis de earum, quæ supersunt, possessione lætabar, neque committendum putabam, ut diutius ignotæ et infructuosæ in

tenebris jacerent. Ceterum, ne quid dissimulem, in hanc curam incumbenti mihi ortam subinde aliquam dubitationem non diffiteor; occurrebat enim interdum illa cogitatio, fore nonnullos fortasse, quibus hæ familiares exhortationes, quamvis exquisita doctrina spirituali abundarent, non tamen æque tersæ ac perpolitæ viderentur, ac cetera B. Patris monumenta in lucem edita, utpote cursim ab eo exaratæ, prout meditanti ac dicere paranti ipse motus animi suggerebat. Addo etiam, nonnullas aliud nihil esse, quam primos velut mentis conceptus, calamo strictim notatos, quos deinde viva voce fusius evolveret. Atque hoc quidem illaboratum et quasi incultum dictionis genus me nonnihil ancipitem tenuit; quod verebar, si B. Patris scripta sic ederem, ut ipse nunquam editurus fuisset, ne decerperem aliquid nobilissimi scriptoris laudi, meritoque iis reprehendendus viderer, qui nihil nisi omnibus numeris perfectum et excellens ejus nomine dignum existimarent. Verum, ut his animi mei dubitationibus supersederem, multæ nec leves me movere causæ. Quid enim? inquiebam; nonne adeo notus omnibus Canisius, ut, qui ejus stylum et scribendi facultatem ex his schedulis æstimare velit, is se ignarum eruditissimorum ejusdem operum fateatur? Quis vero sapiens lucernam lucentem *et* ardentem *sub modio potius abscondendam, quam supra candelabrum collocandam putet, nisi aureum fuerit candelabrum? Quis nucleum ideo abjiciat, quod aspero cortice includatur? aut in vili*

scrinio pretiosas negligat margaritas? Quem porro libelli de Imitatione Christi lectio non magnopere delectet, quamvis sublimitati sententiarum atque doctrinæ minus respondeat humilitas dictionis? Quod si quis nihilominus difficilioris ingenii mihi litem moveat, quod non saltem hæc scripta nonnihil interdum expolienda curaverim, neque Canisium quasi paulo ornatiore in veste produxerim, is, quæso, ignoscat venerationi ac pietati, quam erga talem et tantum virum profiteor. Sicut enim majores nostri, religione ducti erga S. Parentem Ignatium, ejus cubiculum cum paupere supellectili, qua vivens usus est, intactum conservare, quam auro gemmisque ornare maluerunt: sic ego pias hasce Canisii nostri reliquias integras inviolatasque servandas putavi, quum præsertim insito pretio ac propria excellentia haud paulo magis, quam quovis alieno artificio commendentur. Neque enim timendum est, ne Canisium fratres sui (quibus solis hæc offeruntur), quamvis paupere in cultu, non statim agnoscant cupidissimeque amplectantur.

Vis jam scire, quid hoc volumine meo contineatur? Continentur Exhortationes 1° de regulis et rebus ad regulas pertinentibus; 2° de festis per annum occurrentibus; 3° de Oratione Dominica; 4° denique in renovatione votorum aliisque quibusdam occasionibus habitæ.

Ex illo numero paucissimæ sunt, in quibus aliqua immutanda existimavi, sic dumtaxat, ut vel nonnulla

omitterem, quæ jam alibi dicta reperirentur, vel quædam imperfecta aut mutila supplerem, immo vero ipse suppleret B. Pater, videlicet aliis ipsiusmet scriptorum locis. Hoc te, lector, semel monitum volui, quo magis perspectam haberes editoris fidem.

His adjunxi appendicis instar nounullas meditationes de virtutibus Christi, effata quædam et monita S. P. Ignatii, a B. Petro audita et literis mandata, denique insignes ejusdem Beati nostri sententias, non minus doctrina uberes quam pietate suaves, ex ineditis ejus scriptis collectas.

Accipe igitur hosce laboris mei fructus et Canisianæ messis manipulos; quos tibi commendare supervacaneum existimo: quis enim non gestiat talem vitæ spiritualis magistrum audire, qui in schola S. Ignatii et B. Petri Fabri primævum Societatis spiritum quasi ex ipso fonte hausit, et quum in omni vita, tum etiam in scriptis suis tam luculenter expressum nobis reliquit? Hæc lege et meditare, meque tuis apud Deum precibus juva.

G. SCHLOSSER S. J.

I. EXHORTATIONES DE REGULIS ET DE REBUS AD REGULAS PERTINENTIBUS.

1. Exhortatio de regulis et procœmio.

Bonum, utile et laudabile est, quod aliquando conveniamus, fratres et sinamus nobis dici aliquid de piis et spiritualibus rebus ad nostram vocationem pertinentibus. Certa enim est gratiæ promissio a Christo facta sic convenientibus (Matth. 18, 20): *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Christus scilicet est ibi in medio, inspirans et illuminans et dirigens docentem, præsertim cum docet ob caritatem et obedientiam. Operatur etiam per exhortationis verbum et linguam docentis in audientibus, ut discant aliquid, quod nesciebant, vel ut confirmentur in agnita veritate, vel ut excitentur ad meliora et melius dirigantur in via Domini. *Audiens sapiens sapientior erit* (Prov. 1, 5).

Præterea merentur auditores, accedentes EX OBEDIENTIA regulæ et Superioris, et ita nihil possent tunc melius facere; EX ÆDIFICATIONE, quam ostendunt patienter, vigilanter, attente audiendo et modeste sedendo; EX FIDE, cupientes et confidentes audire Dei voluntatem et verbum, panem cœlestem, cibum animæ et medicinam spiritualem contra morbos interiores; EX DESI-

derio audiendi et faciendi verbum, et quo desiderium hoc intensius, eo majus meritum servo Dei, qui cordi habet sanitatem suam, et quasi famelicus accedit ad verbum, velut cibum et panem sibi in hac via necessarium.

Hæc semel pro semper sint dicta, ut libentius audiatis, non mea causa, sed ob fructum: *Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud* (Luc. 11, 18).

Propositio: Posthac in exhortatione proponemus nobis regulas Societatis, et ex illis aliquid pro communi nostro profectu dicetur.

Causæ hujus materiæ tractandæ:

1. Nihil utilius dici et audiri potest, quam de vocatione nostra, quæ ibi velut in speculo cernitur et nobis ostendit bona et mala nostra, ut in illis proficiamus, in his emendemur. Non satis est, eas legere singulis mensibus; sed pro meliore intellectu et diligentiore observatione, indigemus explicatione, et propter oblivionem et pigritiam excitandi sumus ad melius et sæpius cogitandum et laborandum circa illas. Nihil boni potest adduci in exhortationem, quod in regulis istis non contineatur: sive agatur de virtutibus consectandis, de paupertate, castitate, obedientia, caritate, humilitate, patientia, oratione; sive de cavendis malis, ut amore mundi et carnis, de voluntate propria, de vanitate, de impatientia, superbia, indiscretione. Sufficeret ad salutem cuique nostrum, si nihil sciret præter regulas suas et tota vita studeret in illis. Quid juvant alia sine istis? Certe Christus judicabit nos secundum

has regulas et non juxta Ciceronem, Aristotelem vel præcepta doctorum. Quid turpius quam militem prodire sine armis, sartorem sine acu, scriptorem sine calamo, studentem sine libro? Dein nonne promisimus, nos eas observaturos? Sunt autem regulæ generales collectæ ex constitutionibus et succus earum, pro incipientibus et proficientibus, et regulæ speciales officiorum.

Nota differentiam hujus regulæ primæ seu procemii regularum a sequentibus omnibus, quæ semper habent aliquid præcepti de faciendo vel omittendo in nostra vocatione. Hæc solum de fide tractat. A fide enim incipiunt omnes regulæ, sicut et fides catholica, quæ omnibus ad salutem est necessaria, primum est fundamentum justitiæ et omnis boni, sine qua homo non placet Deo in quovis opere (Hebr. 11, 6); ita et fides in prima regula contenta est magni momenti. Oportet enim imprimis credere, Deum esse auctorem, gubernatorem, conservatorem et promotorem Societatis hujus; et ex qua causa? ob suam summam sapientiam et bonitatem; et ad quid? ad suam majorem gloriam vel ob suum sanctum servitium.

Videamus confirmationem dictorum. Deus causa est bonorum omnium et maxime eorum, quæ ad status laudabiles pertinent. *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater, eradicabitur* (Matth. 15, 13). Sunt autem varii status in Ecclesia, sicut membra differunt in corpore et tamen ab uno capite diriguntur, ut status superiorum et inferiorum, status sacerdotalis, virginalis, conjugalis, quorum unus est altero excellentior,

perfectior et laudabilior. Quo perfectior status, eo plus habet de gratia Dei, sicut status religiosus ; et hic proprie Deus operatur ad illum statum suo tempore inchoandum, dando in hoc Spiritum Sanctum illuminantem, excitantem animos, angelum proprium præsidentem, caput aliquod seu administratorem ; sicut variis ordinibus dedit, dat regulas et constitutiones ordini vel statui necessarias, dat potestatem spiritualem in Ecclesia, dat temporalia vitae necessaria, et per talia plura media conservat, gubernat, promovet omnes status ad finem debitum ex mera sapientia et bonitate sua.

Nota. Non satis fuit fides in Ecclesia prædicata, sed confirmari debuit miraculis ; sic etiam considerandum nobis dat prima regula, quibus mediis et signis confirmare debeamus fidem nostram de Deo, quod ipse sit auctor, conservator, gubernator et promotor Societatis.

Primum signum externum datur per Christi Vicarium, qui hanc Societatem voluit initio instituere et confirmare cum suis privilegiis in hunc usque diem, ex potestate sibi à Deo tradita. Hoc solum signum sufficeret sapientibus, qui considerant promissionem Christi factam Petro et successoribus, sicut Ecclesia agnovit.

Secundum signum datur per Ecclesiam in Concilio generali, ubi approbatur religio clericorum Societatis Jesu.

Tertium signum ostenditur per capita christianismi, complectentia hanc institutionem et libenter nostros admittentia toto orbe, etiam apud infideles.

Quartum signum est vox populi christiani, non solum recipientis nostros, sed sæpe et multis in locis promoventis, desiderantis, obedientis, honorantis et bene testantis de nostris.

Quintum signum : fructus Societatis ubique gentium ; fructus, inquam, fidei apud infideles et hæreticos, fructus doctrinæ in scholis et prædicationibus, fructus in administratione sacramentorum confessionis et communionis, fructus conversionis et reductionis tot peccatorum et hostium et miserorum et morientium, fructus obedientiæ in peregrinationibus et miraculis, fructus gubernationis in tam multis collegiis et provinciis, conformiter se gerentibus ex voluntate unius capitis sive Superioris Romæ.

Sunt et signa, Deum velle conservare Societatem.

1. Fundata est arbor profunde in laboribus, difficultatibus, contradictionibus, persecutionibus, sanguinis effusione; tanto magis durabit et crescet.

2. Remedia invecta contra morbos destruentes alios ordines, ut docent constitutiones, sicut contra impedimenta paupertatis, humilitatis, obedientiæ.

3. Spiritus Patrum hodie regentium corpus cum tanta unitate, pace, caritate, sapientia.

Hæc consideratio bonitatis et sapientiæ Dei in instituenda et conservanda, gubernanda, promovenda Societate, renovet in nobis fidem et confidentiam et spirituale gaudium, excitet nos ad gratias Deo agendas, pro tanto dono vocationis et spiritu Societatis communicato nobis et aliis ob utilitatem Ecclesiæ. Oremus

cum psalte : *Deus virtutum convertere : respice de cœlo et vide, et visita vineam istam et perfice eam, quam plantavit dextera tua* (Ps. 79, 15).

Non sinamus nos terreri ob apostatas, ob æmulos, persecutores, falsos fratres vel quosvis adversarios.

2. De fine Societatis.

Finis hujus Societatis, est non solum saluti et perfectioni propriarum animarum cum divina gratia vacare, sed cum eadem impense in salutem et perfectionem proximorum incumbere. Quilibet nostrum, volens cognoscere et observare institutum, constitutiones et regulas Societatis, sicut coram Deo obligatur, habet imprimis sibi proponere et semper ob oculos tenere finem et scopum ejusdem Societatis, ad quem omnia alia media sunt referenda. Quid autem est utilius et necessarium magis in omni re quam ipse finis? Qui non proponit sibi finem et illum non semper ob oculos tenet, est similis homini, qui in aërem jaculatur, in tenebris ambulat et in vanum laborat. Si quis v. g. habet in animo mereri indulgentias vel jubilæum Romæ, ad hunc finem refert omnia alia : scilicet curat habere equum, socios, viaticum, scire rationem itineris, disponere domum, removere impedimenta, nimirum ut Romam tandem possit pervenire et jubilæum tanquam finem assequi. Nauta habet finem sibi propositum, ut v. g. Viennam perveniat cum suis mercibus, nec est contentus, donec tandem in portum pervenerit. Ad

hoc autem utitur variis mediis, ut habeat navem, socios et alias opportunitates. Ita qui est de Societate, non debet unquam esse quietus et contentus, nisi ad suum finem perveniat, qui est proprius hujus instituti.

I. Quis igitur hic finis, ad quem paupertas, castitas, obedientia et reliqua in regulis et constitutionibus præscripta referuntur? nempe salus et perfectio animæ nostræ, deinde animarum proximorum.

Ad hoc intelligendum nota: 1. corpus hominis dici sanum, quando illud potest suas facere operationes, et sic anima sana censetur, quando facere potest suas debitas operationes erga Deum, seipsam et proximum. Talis homo dicitur vivus, sanus, justus, sicut Abraham etc.

Nota: 2. quod homo perfectus dicitur, quando anima ejus habet summum gradum caritatis, quæ *vinculum est perfectionis*, Paulo teste, et præsupponit cognitionem fidei divinitus infusam. Quanto enim homo majorem habet fidem et caritatem in hac vita, tanto majorem habet perfectionem eoque justior et sanctior putatur.

Nota: 3. quomodo differat finis noster et aliorum sæcularium, qui habent etiam aliquem certum finem sibi propositum et illum maxime, ut suas animas salvent et similiter proximorum cum gratia Dei; *unicuique enim mandavit Deus de proximo suo*. Noster vero finis non solum spectat et quærit salutem, sed et perfectionem animarum nostrarum simul et proximorum. Dicit sæcularis: volo fieri salvus; nos dicere debemus,

quod non solum salvi, sed et perfecti esse cupimus et studemus. Dicit Episcopus: teneo statum perfectionis, in quo habeam purgare, illuminare, custodire, gubernare et dirigere animas mihi commissas. Nostrum est dicere, quod sumus et stamus in via perfectionis acquirendæ, de qua Christus etiam loquebatur diviti roganti: *Magister bone, quid boni faciam ut habeam vitam æternam?* Respondit Dominus: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata;* tum ille: *Omnia hæc custodivi a juventute mea, quid adhuc mihi deest?* Respondit Dominus: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me.*

Unde 1. sequitur, quod sæcularis possit quidem esse civis cœli, religiosus autem civis ditior.

2. Hinc sequitur, Christum duas vias in Evangelio credentibus proponere, unam omnibus necessariam ad salutem, quæ est via præceptorum, et alteram, ad quam invitat velut tutiorem et breviorem et utiliorem salvandis viam, scilicet consiliorum.

3. Sequitur, religioso nunquam esse cessandum in via semel incepta, sed semper progrediendum, ut fiat perfectior; alioquin, si non proficit, deficit, et quando non se extendit, retrocedit.

Sed dicet aliquis: quomodo nostrum institutum differt ab aliis ordinibus religiosorum eumdem finem sibi proponentium, salutem nempe et perfectionem animarum suarum. Respondeo, multos esse religiosos, qui non habent sibi propositum et præscriptum finem,

ut attendant simul saluti et perfectioni propriæ et aliorum. Exemplum patet in Carthusianis, Benedictinis, Eremitis, sibi et suæ perfectioni tantum vacantibus cum Magdalena, quæ noluit circa proximum occupari, sed unam tantum partem elegit. Unde multi religiosi domi vel in monasteriis perpetuo manent, cum proximo non conversantes; non prædicant, non ministrant sacramenta, non visitant ægrotos vel incarceratos.

Quis autem dicitur hic proximus, cujus salus et perfectio procuranda? Qui nempe nostra indiget opera, ad excludendos in cœlo Beatos, quorum opera nos potius egemus, et similiter damnatos, quos Deus non vult amplius juvari, sed sicut excommunicatos relinqui. Illi vero nobis commendantur, qui possunt qualicumque modo fieri participes salutis et perfectionis, sive in via præceptorum, sive in via consiliorum, habita ratione status ipsorum. Quanto magis illi relicti, tanto major cura illorum nobis habenda.

II. Quæ sunt inductiva, ut ita de proximo bene mereamur?

Est 1. Deo gratissimum sacrificium zelus animarum.

2. Est se conformare imagini Filii Dei, qui venit exercere contemplativam et activam vitam et quærere et salvare, quod perierat, sicut pastor oves perditas.

3. Est officium et opus proprium Apostolorum, non quæ sua, sed quæ aliorum sunt, quærere et se totum impendere saluti proximi.

4. Est argumentum veræ caritatis, non solum bona sua tribuere pauperibus, sed corpus et vitam in salu-

tem eorum expendere, sicut multi fecerunt. Hinc Paulus exhortans Timotheum : *Attende*, inquit, *exhortationi, lectioni et doctrinæ; attende tibi et doctrinæ, insta in illis : hoc enim faciens, teipsum salvum facies et eos, qui te audiunt.*

Hic finis igitur est valde sublimis et magnam continet perfectionem, Deoque valde gratus et nostri instituti est proprius, nec potest esse major et altior finis sive scopus, quam ut nostram et aliorum salutem studiose procuremus.

Sed nota ordinem hic observandum, ut primum nostram, deinde aliorum salutem et perfectionem promovere oporteat. *Qui enim sibi nequam est, cui bonus erit? Quid prodest homini, si totum mundum lucretur etc.* Multi sub prætextu caritatis juvandi proximum seipsos negligunt ; unde Christus voluit Apostolos primum instruere, ut relinquerent omnia et ipsum sequerentur suumque verbum andirent, priusquam illos misit ad prædicandum ; unde dicitur, quod caritas debet esse bene ordinata, sicut erat in Joanne Baptista, de quo dicitur : *Erat lucerna ardens et lucens.* Immo Christus ipse *cœpit facere et docere.* Quidam autem volunt facere alios perfectos et de sua perfectione parum aut nihil solliciti sunt. Tales autem Christus vocat hypocritas.

Exemplum, quod sequamur, habemus in P. Ignatio, qui sibi ipsi vacabat, ut salutem et perfectionem suam promoveret ; hinc pœnitentiam, abstinentiam et vitæ

rigorem assumpsit, donec Deus illi daret lumen et desiderium proximum juvandi.

III. Quæ praxis circa hunc finem quotidie nobis exercenda?

1. Vitare et fugere, quæ nos ab hoc fine possunt abducere, ut nimia distractio et occupatio intellectus et voluntatis, ut parum aut nihil nos ipsos colligamus, nec attendamus nostræ saluti, neque perfectioni debitæ.

2. Vitare et fugere nimiam contemplationem, et quæ nos circa caritatem proximi impedire possunt, ut legere libros, in quibus non commendatur et confirmatur spiritus nostræ Societatis.

3. Occasionem quærere et amplecti verbis et factis ædificandi proximum. Hoc autem pertinet non solum ad professos et prædicatores, sed etiam ad coadjutores spirituales et temporales, qui memores sui finis libenter debent peccantes laicos arguere et ad meliora, præsertim ad usum sacramentorum, illos promovere.

4. Quilibet opera sua debet sæpe ad hunc finem referre, ut coquus, quod cupiat cibare fratres et Patres, ut minus impediantur in suis officiis et majorem præstent caritatem proximo.

5. Opus est sæpe conscientiam examinare, quomodo puritatem votorum suorum servet, quantum in amore Dei et proximi crescat, quomodo suam et aliorum salutem sincere quærat, sitne personarum acceptor. Non sufficit, ut homo bonam habeat intentionem, sicut etiam a sæcularibus requiritur, sed majorem Dei gloriam ubique debemus quærere, quæ est primum

nostram, deinde aliorum salutem et perfectionem procurare. Multi docti egregie docent, sed non ita pure ad honorem Dei et salutem animarum, sicut nos debemus facere. Multi laborant pro victu quotidiano et vix panem lucrantur; nostrum est minore labore majorem fructum parare et plus referre præmii AD MAJOREM DEI GLORIAM.

3. Explicatio regulæ octavæ Summarii.

In hac regula duo continentur et jubentur: alterum de omnibus relinquendis propriis et temporalibus rebus atque personis, qualescumque fuerint, ut ab illis separemur et ab illis nos abstrahamus, neque jus ullum servemus; alterum de iisdem non solum relinquendis secundum corpus et proprietatem, sed etiam secundum desiderium et affectum.

Fundamentum hujus regulæ consistit in consilio evangelico, quod Christus dedit juveni diviti dicenti: *Magister bone, quid boni faciam ut habeam vitam æternam?* et cum dixisset Christus: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata,* respondit ille: *Omnia hæc custodivi a juventute mea, quid adhuc mihi deest?* Respondit Dominus: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, et da pauperibus et habebis thesaurum in cœlis et veni, sequere me.* Et ut clarius hoc consilium intelligeremus, dixit Petrus: *Ecce, nos reliquimus omnia et secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Respondit illi Dominus: *Omnis, qui reliquerit*

domum, vel fratres aut sorores, aut patrem aut matrem, aut uxorem aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam æternam possidebit. (Matth. 19, 27 seqq.)

Est igitur opus laudabile, Deo gratum, a Christo ipso propositum et suasum, et homini meritorium, quod relinquat amicos, parentes et omnia, quæ habet propria in mundo. Est etiam aliquando præceptum, uti si amici vel parentes nos impedirent in fide vel cogerent ad malum, aut præberent magnam occasionem offendendi Deum vel perdendi animam. Tunc enim habet locum Christi verbum: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.* (Matth. 10, 37.) *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem, et uxorem et filios, et fratrem et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. Omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (Luc. 14, 26. 33).

Quæ vero inducunt ad relinquenda omnia?

1. Exemplum Abrahæ, qui obedivit Domino jubenti: *Egredere de terra tua et de cognatione tua* (Gen. 12, 1).

2. Idem fecit Elisæus, Elias et prophetæ plures et præsertim Joannes Baptista.

3. Est primum opus Apostolorum, qui vocati reliquerunt retia, ut Christum sequerentur.

4. Verum est signum inhabitantis Spiritus Sancti, sicut docent illi, qui primitias spiritus acceperunt in

Ecclesia primitiva. Statim enim ac crediderunt Apostolis, Hierosolymis habebant omnia communia, vendebant possessiones, nec quisquam dicebat, aliquid esse suum.

5. Exemplum Christi huc pertinet, qui natus est pauperrime ex paupere Matre et pauperes elegit discipulos, non habentes panem, vixit et obiit in paupertate, cum tamen dives esset et rex cœli et terræ, implens omne animal benedictione, et qui maxime vult honorare pauperes in judicio suo.

Nota, parum esse, quod religiosi reliquerunt corporaliter amicos et parentes. Fecerunt id philosophi et faciunt quotidie sæculares propter quæstum vel alias causas, etiamsi non cogitent de Deo et Christi consilio vel de retributione promissa his, qui suos deserunt, quos etiam inviti debent in morte relinquere, quantumvis sint cari et potentes.

Quid igitur exigit hæc regula?

I. Ut non solum corporaliter, sed etiam secundum animum relinquamus consanguineos et amicos. Hoc fit:

1. deponendo omnem sollicitudinem illorum, quasi non essent in vita, vel essent prorsus ignoti nobis aut alieni;

2. resecando omnem familiaritatem et communicationem, quam cum illis habere possemus per litteras et alio modo;

3. rejiciendo sermones et cogitationes de illorum valetudine, prosperitate, conditione, morte, ut vere simus mundo mortui; ad hoc juvat raro loqui et

audire de amicis et eorum statu, etiamsi habeamus occasionem loquendi et audiendi ;

4. in sermone non dicendo : est mihi pater vel frater, sed : fuit in sæculo.

II. Ut diligamus membra Societatis sicut proximos, consanguineos, fratres, considerando, non quomodo nati in sæculo secundum carnem, sed quomodo simus renati spiritu, cum facti sumus religiosi.

III. Ut secundum ordinatam caritatem constituamus ordinem diligendorum, ut, sicut maxime jubemur amare parentes carnales, sic nunc amemus : 1° spirituales patres, 2° fratres et amicos Societatis, 3° in spiritu perfectiores religiosos, 4° fideliores ministros et defensores et promotores sive spirituales sive sæculares. Tales sunt Pontifex, prælati Ecclesiæ, catholici principes et magistratus, qui in magna necessitate fideliter promovent causam religionis.

Non tamen hic excluditur vel prohibetur sollicitudo quædam spiritualis pro parentibus vel amicis morientibus, defunctis, in gravi periculo animæ constitutis, se nobis commendantibus, vel cum datur occasio illos monendi, ædificandi; hic enim est spiritualis, non carnalis affectus, quo amicos et homines prosequi possumus ex vera caritate.

Sed nota, quod hæc regula maxime spectat ad novitios, quibus non expedit, ut sub specie caritatis tractent cum amicis, quia plus ipsi in se perdunt, quam in illis lucrifaciunt, quia se exponunt periculo distractionis, sollicitudinis, carnalitatis, quod facile potest

occurrere in tali familiaritate. *Qui enim tangit picem, inquinabitur ab ea.* Unde Christus discipulum prohibuit, ut domum iret et sepeliret patrem, et ipse dixit parentibus : *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* (Luc. 2, 49.)

4. De tribulatione.

Jubet regula Societatis nos considerare coram Deo, quantopere conducat ad profectum vitæ spiritualis abhorrere ab omnibus, quæ mundus amat et quærit, nempe ab honoribus, fama, gloria, pompa ; jubet nos amare et concupiscere contumelias, falsa testimonia, injurias et tribulationes, ut Christi veste et insignibus hoc modo induamur.

Dicam :

I. De triplici genere tribulationis.

II. Cur liceat eam desiderare.

1. Triplex genus tribulationum, quas in hac vita Christiani patiuntur secundum illud : *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur* (2 Tim. 3, 12). *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* (Act. 14, 21). Primum est tribulatio innata nobis et ex natura corrupta procedens, quam etiam in se deplorat Paulus (Rom. 7), et alii magis, alii minus experiuntur, quamdiu pugnant in carne et portant jugum Adæ. Sic vita hominis est militia super terram, quia semper habet vincendas pravas inclinationes, semper eget cultro circum-

cisionis et virga disciplinæ et mortificatione veteris hominis.

2. Est tribulatio quædam nobis illata vel a dæmone, vel a proximis, sicut videmus in Apostolis et martyribus, qui passi sunt propter justitiam persecutiones ab externis hostibus et tyrannis in bonis, fama, corpore, vita, immo etiam ab amicis, domesticis et cognatis. Unde Christus jubet eos gaudere (Matth. 5, 12). *Beatus vir, qui suffert tentationem* (Jac. 1, 12 et Apoc. 7, 14. 15.).

3. Tribulatio est voluntarie assumpta, sicut a Joanne Bapt., a Paulo castigante corpus et aliis eligentibus vitam asperam et pœnitentiæ perpetuæ.

Nota, 1. quod regula loquatur de tribulationibus extrinsecus advenientibus, quales Christus, via nostra, pertulit a suis persecutoribus, qui viam crucis elegit, a principio ad finem vitæ durantem. Unde passus est 1. ab Herode et Ægyptiis, 2. a popularibus in Nazareth et Capharnaum, 3. a suo populo, quem docebat, 4. in civitate regali, 5. a magistratibus Judæorum et gentium; 6. passus est in omnibus membris et sensibus corporis a capite usque ad pedes; 7. fuit verus Jonas, submersus in aquas passionum, unde vocatur *vir dolorum et sciens infirmitatem, leprosus et humiliatus a Deo;* nec unquam fuit pulchrior et perfectior, quam in ligno crucis, nec fructuosior, quam cum ipse, granum frumenti, moreretur.

Nota, 2. quod tribulationes boni omnes debent ferre patienter et semper tulerunt ab initio mundi; debent

enim vivere inter malos, sicut lilia inter spinas, ut pungantur et suum retineant candorem et odorem emittant. Debent etiam desiderare, ut tribulationes sibi inferantur, exemplo Christi dicentis: *Improperium expectavit cor meum et miseriam* (Ps. 68, 21). Unde quidam etiam petierunt tribulationes, ut David: *Proba me, Domine, et tenta cor meum* (Ps. 15, 2); et Augustinus: »Hic ure, hic seca, ut in æternum parcas." Martinus, Franciscus et alii desiderarunt sæpe martyrium. Sic multi cum Andrea, Ignatio, Agatha læti ibant ad pœnas et gloriabantur in cruce. Marcus et Marcellianus dicebant in tormentis tyranno: »Numquam tam jucunde epulati sumus."

Omne gaudium existimate, fratres mei, si in tentationes varias incideritis (Jac. 1, 2).

II. Cur desideranda tribulatio?

Tribulatio est 1. ignis purgans aurum, quod non splendesceret, nisi purgatum igne. Unde Christus dicitur suos baptizare in Spiritu Sancto et igne; est enim medicus, qui novit sanare suos ægrotos.

2. Est virga, per quam filios corripit, quos amat, et continet in officio, vel revocat errantes bonus pastor. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt* (P. 15, 4). *Quem diligit Deus, castigat... Si extra disciplinam estis;... adulteri et non filii estis* (Heb. 12, 6—9).

3. Medium utile est et necessarium ad gratiam conservandam et perficiendam. Quanto enim major tribulatio, tanto magis obvia consolatio. Quod deficit

nobis in operatione, hoc perficitur in tribulatione; opera vero sunt nobis plerumque vel modica vel imperfecta vel corrupta.

4. Licet desiderare, quod prodest ad humilitatem carnis, ad illuminationem mentis, ad amorem Dei et ad salutem animæ; sed tribulatio cogit quasi hominem, ut ad se redeat, se humiliet sub manu Dei et ex vexatione accipiat et augeat sapientiam et, contemnens reliqua, Deum solum incipiat amare et suam procurare salutem. *Qui non est tentatus, quid scit?* (Eccl. 34, 9.) Stultus in culpa, fit sapiens in pœna et dicit: *Bonum mihi, quia humiliasti me* (Ps. 118, 71), quia, ut ait Paulus, *virtus in infirmitate perficitur* (2. Cor. 12, 9).

5. Magnitudo præmii, quod redditur pro brevi tribulatione. *Id enim, quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis* (2. Cor. 4, 17); *non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam* (Rom. 8, 18).

Præcipue autem movere nos debet exemplum Christi, Capitanei nostri, *qui, proposito sibi gaudio, sustinuit* et elegit *crucem* pro se et corpore suo mystico, *confusione contempta* (Heb. 12, 2); qui, cum posset parvis pœnis nos redimere, totum se tradidit amarissimæ passioni; qui ex tanto amore se verum pelicanum ostendit, pullos cibans et reficiens suo sanguine; qui toties monuit, ut crucem post ipsum feramus, si volumus esse participes gloriæ et regni ipsius, immo

propterea passus est, ut sequamur vestigia ejus (1. Pet. 2, 21); qui, tot injuriis, tot vulneribus acceptis, meruit, ut ipsum confiteamur et honoremus in cruce nostra, præsertim cum velit ipse manere nobiscum et compati et confortare nos et tribuere gratiam in principio, medio et fine. *Cum ipso sum in tribulatione* (Ps. 90, 15). *Confidite, ego vici mundum* (Joan. 16, 33).

Nota, 1. pusillanimitatem esse amorem proprium, quod timemus nobis et non confidimus gratiæ Christi, si patiendum esset aliquid ab hæreticis, infidelibus vel hostibus quibuscumque. *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis* (1 Cor. 10, 13). Quantus amor, quanta fiducia Apostoli Pauli, quantum gaudium in tribulationibus suis!

2. Christus acriter arguit Petrum a cruce retrahentem: *Vade retro me, satana* (Marc. 8, 33).

3. Offert se Paulus et cupit impendi pro fratribus suis; Paulinus se pro filio viduæ vendidit.

Unde spoliemus nos voluntate propria et amore sensuali, vigilemus et oremus contra tentationes, induamur desideriis patiendi pro Christo, incipiamus augere studium patientiæ in quotidiana conversatione, in verbis et moribus.

5. De tentationibus dæmonis et de mediis ad eas vincendas.

Gravis pugna homini cum mundo, gravior cum carne, gravissima cum dæmone, invisibili hoste, qui

magis timendus, quia non videtur, et est contra hominem conjuratus, semper vigilans et insidians et nulli parcens, dolose impugnans, tortuose incedens, assidua nos tentatione pulsans, ut saltem tædio nos vincat. Artifex malus mille nocendi artes habet, tam variis expugnandus telis, quam impugnat insidiis. Astutum eum facit subtilis natura et malitiæ exercitatio longa. Est et fortis ab initio, quia non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est, ut nullum timeret. Omne sublime videt, ipse est rex superbiæ super universos filios superbiæ (Job 41, 24, 25). Habemus pugnam cum gigante, cum simus quasi locustæ, et vult tamen Deus, ut locustæ vincant gigantem et vincant nequitias ejus in terra (Origenes).

Dicam ergo : I. Quæ et qualis sit ejus impugnatio ;

II. Quibus armis sit vincenda.

I. Impugnatio satanæ universalis est. En in paradiso serpens Evam et dein per illam Adam decepit, et ejus tentatio contra nos duratura innuitur illis verbis : *Inimicitias ponam inter te et mulierem, inter semen tuum et semen illius* (Gen. 3, 15). Quam graviter tentavit et afflixit sanctum Job, cum potestatem tentandi a Deo impetrasset! Tentavit et ipsum Christum post baptismum sæpius. Tentavit et in itinere proposito impedivit Paulum. Tentavit Ananiam et vicit ; dixit enim ei Petrus : *Anania, cur tentavit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto et fraudare de pretio agri* (Act. Apost. 5, 3). Tentavit Martinum, Antonium, immo et fideles omnes tentat ; unde eis

dicitur, ut vigilent et resistant diabolo, utque orent: *Libera nos a malo.* Expulsus spiritus malus redire contendit in domum, unde exivit et assumit septem alios spiritus secum nequiores se, ut possit prævalere homini justificato. Est scilicet Pharao, qui cum suo exercitu filios Israel, quum ex Ægypto abeunt, persequi non cessat. Quid multa? *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus; propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo* (Eph. 6, 12. 13). Unde et ad servitutem Dei accedenti jubetur, ut præparet animam suam ad tentationem (Eccl. 2, 1); et: *Militia est vita hominis super terram* (Job. 7, 1). Satan veluti sagena totum mare hujus mundi occupat, ut gentes omnes ad se pertrahat. Non respicit personas hominum, sed majoribus et ditioribus fortius et periculosius imminet, ut eos in suum rete pertrahat; et magis impugnat bonos et sanctiores, quos videt magis proficere in virtutibus. Unde nemo sibi securitatem polliceri potest, sed quisque providus esse debet et sibi cavere ab eo hoste, qui non modo vigilantes, sed et dormientes impugnat, et maxime in fine vitæ, sciens, quia modicum tempus habet (Apoc. 12, 12).

2. Item non uno loco tentat hominem, sed ubique, ut in deserto, civitate, loco sacro, sicut Christum tentando monstravit; dein ipsemet fatetur: *Circuivi terram et perambulavi eam* (Job 1, 7). Non manet in uno

loco, sed circuit terram: tanta est ejus invidia et cupiditas nocendi. Est enim sicut leo rugiens, qui circuit, quærens quem devoret (1. Pet. 5, 8). Hinc Antonius, fortis ille athleta Christi, qui fuit tam peritus in pugnando contra dæmonem, quem non solum fide et signo crucis devincere solebat, sed etiam armis orationis, vigiliarum, jejuniorum, paupertatis, humilitatis, et præcipue ardenti amore erga Christum, edoctus a Deo dicit, mundum esse plenum laqueis, quos sola humilitas effugere possit. Det nobis Deus oculos ad videndum hos laqueos, sicut Antonius vidit, et ad tentationes advertendas, quæ nobis in omnibus fere occurunt, quæ agimus; sive enim oremus et meditemur, sive comedamus et bibamus, sive confiteamur sive communicemus, sive agamus cum Superioribus vel fratribus: plerumque non desunt tentationes, immo tentatio est tota vita hominis super terram. Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua (Eccli. 27, 4). Hinc maxime nobis necessaria discretio.

3. Astutus insidiator unumquemque tentat secundum ejus complexionem, mores, inclinationes sibi optime cognitas et vitæ conditionem.

Sic MUNDI AMATORIBUS in exitium vertit omnia dona Dei, quos excæcat et potenter agitat secundum suam voluntatem, ut creaturæ omnes fiant illis in muscipulam. Dum enim in principio tentationis, quum est adhuc parvulus, irrepere sinitur hostis in domum et ad petram non alliditur: sensim suam vim explicat

domumque totam hostiliter occupat superbus et violentus dominator, et in corde tanquam in arce dominatur et affectus pravos incendit et flammas vitiorum, ut et alios corrumpant, excitat.

Sic tentat dæmon RELIGIOSOS in via Dei INCIPIENTES, ut scilicet abundent in suo sensu et cordis sui judicium sequantur, ut sint ferventes indiscrete nimiumque rigorem disciplinæ ament, proclives sint ad judicandum alios, præsertim imperfectos et lætos, ita ut facile turbentur et offendantur aliorum moribus et exemplis. Tanto magis autem studere debent, ut ex arbitrio Superioris pendeant et illius judicio per omnia gubernentur, quia nondum habent exercitatos sensus ad discretionem boni et mali; item ut claudant oculos et velut cæci ambulent inter alios, facti simplices et seipsos solos considerantes, nec festucam in aliorum oculis curantes.

Tentat satan etiam PROFICIENTES, sed alio modo, ut scilicet intepescant et impediantur circa meditationem et orationem sibi adeo necessariam, ut his quasi duobus pedibus in via Dei ambulare possint et ad Deum ascendere. Item impedire eos conatur, ut non suos examinent defectus eosque ponderent. Instigat, ut sinant se nimium occupari circa externa, ut fiant impatientes, murmurantes, curiosi circa inutilia, contenti externa observatione votorum et regularum, ut fiant tepidi in devotione, vagi, leves in propositis, nimium indulgentes corpori, non ponant securim ad radicem, ut non studeant mortificationi, nec sibi

proponant perfectos ad imitationem. Utinam anteverterent tentationes, sicut monet regula, et adhiberent remedia præservativa! Utinam notarent pericula et incommoda deficientium in religione et profectu spirituali, ad quem obligantur! S. Augustinus (epist. 137) ait: *Non inveni meliores, quam qui in monasterio profecerunt, nec expertus sum deteriores, quam qui in religione defecerunt.* Tales peccant in sanctitatem loci et religionis suæ, in qua electi sunt a Deo, ut sint sancti et immaculati in conspectu ejus in caritate (Eph. 1, 4). *Domum enim Dei decet sanctitudo* (Ps. 92, 5). Peccant in bonorum, inter quos vivunt, sanctitatem; qui enim malus est inter bonos, est quasi Judas inter discipulos. Peccant abutentes bene vivendi opportunitate multipliciter data. Peccant in fundatores et patronum loci. Peccant in vota Deo promissa et ad quæ servanda coram Deo et mundo obligantur. Occupant male locum alterius, qui suum officium faceret, fidelis Deo et utilis hominibus futurus. Peccant in eos, quorum liberalitate et beneficiis sustentantur, et defraudant eos debita gratitudine et mercede. Timendum habent, ne Deus eos evomat ex ore suo, quia tepidi et negligentes sunt; merentur privari talento accepto et puniri cum multis, qui sunt servi pigri et inutiles.

II. Videamus modo, quæ valeant ad superandas satanæ tentationes.

1. Valet, ut cogitationes malas mature observemus et in illis excutiendis vigilemus et, cum a spiritu malo immittuntur, nullum illis aditum præbeamus.

Vade retro me, satana (Marc. 8, 33)! Exemplo sit Christus in deserto. *Resistite diabolo et fugiet a vobis* (Jac. 4, 7). Non est ludendum cum tali hoste, qui mire se transfigurat in angelum lucis. Licet omnis tentatio possit esse a diabolo, specialiter tamen diaboli tentationes dicuntur, quæ ad iram et amaritudinem invitant; unde S. Bernardus in medit.: *Caro suggerit mihi mollia, mundus vana, diabolus amara.* Quoties aliqua carnalis cogitatio mentem meam importune pulsat de cibo, potu, somno ceterisque similibus ad carnis curam pertinentibus, caro mihi loquitur. Quum vero de ambitione sæculi et jactantia et de arrogantia cogitatio vana in corde versatur, de mundo est. Quum autem ad iracundiam et amaritudinem animi provocor, diabolica suggestio est, cui non aliter quam ipsi diabolo resistendum est.

2. Opus patientia, cum hostis subinde redit et malas cogitationes obtrudit, ut, qui tentatus est, non cadat animo, cogitans, quia *fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis* (1 Cor. 10, 13).

3. Confert multum prudenti et seniori revelare consilia dæmonis et malas cogitationes non abscondere, quod maxime confundit et allidit virtutem dæmonum.

4. Prodest honesta occupatio et otii evitatio, ne locum demus hosti, quia omnium tentationum sentina est otium, quo dæmones maxime delectantur. Cum dormiunt homines, venit inimicus et inflammat concupiscentiam. Assumantur ergo tum spiritualia, tum corporalia exercitia sanctis Patribus usitata.

5. Prodest sobrietas et jejunium; non vincit diabolum, qui gulam non vicit; hostis baculo nostro nos cædit, cum procurat, ut caro, quæ data est nobis in adjutorium, fiat nobis in ruinam et scandalum.

6. De hoc hoste triumphat fides, cum jubemur in omnibus fidei scutum sumere, ut possimus omnia tela nequissimi ignea extinguere (Eph. 6, 16). *Cui resistite fortes in fide* (1. Pet. 5, 9); sicut Sancti per *fidem vicerunt regna* (Hebr. 11, 33): per fidem, inquam, vivam in Christum ejusque crucem, in qua victus fuit hostis, ita ut spectemus Christum ducem strenuum, adjutorem potentem et liberalem remuneratorem pugnantium contra dæmonem.

7. Juvat fiducia in Deum oratione munita. *Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient* (Is. 40, 31).

8. Ratio vincendi inimicum est lætitia spiritualis. *Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis* (Jac. 1, 1). Multiplex enim fructus tentationum, quoties his resistimus: diabolum superamus; angelos lætificamus; Deum honoramus, qui nos hortatur, ut pugnemus, et adjuvat, ut vincamus, certantes ipse spectat, deficientes sublevat, vincentes coronat.

9. Juvat ex ea parte se munire magis, qua homo reperit se debiliorem et gravius tentatur ab hoste; ut exempli gratia, si loquacitate impugnatur, magis taciturnitatem exerceat et ita contraria via procedat.

10. Juvat custodire sensus, vitare occasiones et pericula peccandi (Matth. 18, 8.) et mediam tenere viam inter pusillanimitatem et animositatem nimiam et alieno judicio potius quam suo sensu duci.

Dæmonum officium est suggestiones malas ingerere, nostrum est eis resistere. Qui vult placere Deo et utiliter servire proximis, in Deo exultet et cautus sibi pro se gemat et oret: *Adjuva me, Domine Deus meus* (Ps. 108, 26); *inimici mei animam meam circumdederunt* (Psalm. 16, 9); *eripe me de inimicis meis, Deus meus, et ab insurgentibus in me libera me* (Ps. 58, 2). Qui autem inimici? corpus, mundus, diabolus. A corpore fugere non possum, nec ipsum a me fugare; circumferre illud necesse est, quoniam alligatum est mihi; perimere non licet, sustentare cogor, et cum illud impinguo, hostem meum adversum me nutrio. Mundus circumcingit et obsidet me undique et per quinque portas sensuum sagittis suis vulnerat me, et mors intrat per fenestras meas in animam meam. Diabolus, quem videre non possum et ideo minus ab eo cavere, tendit arcum suum et in eo paravit sagittas suas, ut vulneret me repente, et abscondit laqueos suos in omnibus; cum autem creaturis abutimur et illis male delectamur, illaqueamur. Sed in tentationibus orantes consolari se possunt, quod, Deo nos protegente, nihil in nos possint inimici. Deus autem fidelis, qui neminem deserit nisi desertus, si facit homo, quod sui est officii et ad Deum se convertit.

Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se (Jac. 1, 12).

6. Exhortatio ad sequendum Christum ducem in pugna contra dæmonem.

In re militari multum refert, ut milites habeant prudentem et exercitatum capitaneum, idque tanto magis, cum pugnandum est cum magno, callido et potente principe. Multum etiam refert, ut milites duci pareant, et ipsum sequantur. Quis vero est noster et omnium christianorum capitaneus, nisi Christus, qui fuit præfiguratus per victoriosum Davidem, qui potentem et superbum gigantem Goliath in pugna vicit et suo ipsius gladio superavit? *Dominus fortis et potens, Dominus potens in prœlio.* Et quis hostis Christi? Serpens antiquus et princeps hujus mundi, caput malorum. Qui sunt autem milites illius capitanei? Omnes christiani, qui in sacro baptismo principi hujus mundi, sub cujus potestate omnes nascimur, abrenuntiarunt et cœlesti capitaneo Christo promiserunt et jurejurando confirmarunt, se ipsi fideliter adhæsuros et servituros ad mortem usque, ut coelesti corona donentur. Norunt enim serium sui capitanei mandatum cuique factum: *Esto fidelis usque ad mortem et dabo tibi coronam vitæ* (Apoc. 2, 10); et in hoc stat summa christianæ militiæ, præsertim eorum, qui volunt excellere in fidelitate.

Quid vero in causa est, quod multi hujus promissionis et juramenti capitaneo Christo facti obliviscantur et promissam ei obedientiam non præstent, ab eo se regi non patiantur, immo contra ejus verbum et exemplum agant? Quum pugnandum est, volunt otiari; seipsos, non honorem sui principis quærunt; si accedit hostis et terret eos, non resistunt, sed cedunt et fugiunt; non observant ejus insidias, sinunt se decipi ejus fraudulentia, calliditate et falsis promissis; tenent gladium in vagina, non audent armis uti et vires experiri contra hostes. An hoc est bonum militem agere? Quid capitaneus noster Christus? En statim post baptismum divertit a mundo et amicis; non suam voluntatem sequitur, sed spiritum Dei; solus in desertum secedit, eligit vitam austeram, facit mirabilem pœnitentiam, expectat in campo hostem, depromit ex vagina gladium spiritus, depellit tela in se jacta et petit hostem telis fortioribus; non cedit, sed audacter resistit illi, cum tentaret eum in gula, superbia et avaritia; fugat illum, et promeruit, ut accederent angeli et ei ministrarent. Ita discimus a capitaneo nostro, ut pugnemus fortiter armis spiritualibus contra dæmonem et eum vincamus, excitati ejus verbo et exemplo.

Sed dices: gravis et dura est hæc militia.

Respondeo: certum est, non potes duobus dominis servire; aut Christo adhærendum aut dæmoni serviendum. Nisi cum Christo pugnes et vincas, dæmonis captivus eris et pœnas inferni habebis. Sed quid? nonne

pudet te fidem datam violare et perjurum esse? quomodo audes a Domino tuo deficere et pro tot beneficiis acceptis ingratus esse? Christus pro te pugnavit, satanam debilitavit, virtutem tibi meruit et impetravit ad artes et virtutem ejus vincendas, si velis. O ignaviam, quod sub tali capitaneo renuas aliquid pati, cum ipse se totum tibi tribuat et ad mortem usque crucis certaverit tui causa! Ceterum nemo coronabitur, qui non legitime certaverit. Quantum patiuntur milites! vigilias agunt in vitæ periculo, vulnerantur, sæpe pereunt, nec habent ab ullo opem, consolationem, nec spiritualem, nec corporalem. Quis non libenter malit ex amore Dei, pro animæ suæ salute, pro regno cœlorum sub vexillo crucis militare, ut cum Christo regnet in æternum?

7. Prima exhortatio de virtutibus.

Benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion (Ps. 83, 7).

I. Dat nobis gratiam suam Deus ad inchoandas sequentes exhortationes in honorem suum et fructum nostrum. In illis autem tractabitur de virtutibus in genere et specie. Loquar autem non de virtutibus naturalibus, quæ etiam exercentur ab infidelibus, nec Deo possunt placere et homini prodesse ad salutem, licet Deus aliquando illas in hac vita remuneretur;

non loquor de virtutibus notis et laudatis a philosophis, ex illis justitiam et perfectionem hominis æstimantibus, sicut ob illas laudant Socratem, Aristidem, Catonem, Scipionem. *Virtus,* inquit Cicero, *nihil aliud est, quam in se perfecta et ad finem perducta natura.* Ubi autem non est cognitio Dei, non est fides; ubi non est fides, non est fundamentum justitiæ, et impossibile est placere Deo. Judæi habuere suas virtutes, sed cum hypocrisi sua, non Dei gloriam quærentes (Matt. 6, 1). Dicam de virtutibus christianis, quæ finem exigunt supernaturalem et a Deo infunduntur et in verbo Dei fundantur, secundum quas electi omnes ambulaverunt, et nos debemus ambulare in via Dei, si ad cœlestem patriam volumus pervenire. Dicam autem, quia nobis commendatur earum studium in regulis, ad excitandam earum memoriam, ad augendum earum desiderium et ad ditandam sic nostram paupertatem, ut, sicut Sancti, divites fiamus.

1. Primum in hoc textu videmus auctorem virtutum DEUM: *Omne enim datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (Jac. 1, 17). Hic est legislator, veram virtutis viam ostendens omni populo sedenti in tenebris et umbra mortis, seipsum et Deum suum ignoranti et falsitatem et mendacium pro veritate amplectenti. Nec solum est legislator sicut Moyses, per quem peccata in lege monstrabantur et prohibebantur, sed gratia non præstabatur ad legem et virtutem servandam. Deus nobis est legislator gratiosus, vires nobis exhibens ad

servandam legem; *quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Christum facta est* (Joan. 1, 17). Unde Paulus: *Omnia possum in eo, qui me confortat* (Phil. 4, 13). Et Christus ipse: *Sine me nihil potestis facere* (Joan. 15, 5). *Omnia enim opera nostra operatus es nobis* (Isa. 26, 12).

2. Additur in themate: *Ibunt de virtute in virtutem.* Hæc causa est, quod Deus virtutem ostendit et gratiam promittit ac benedictionem, non ut credamus tantum, neque ut otiemur et secure vivamus, sed ut in via virtutis ambulemus, et ab imperfectis virtutibus ad perfectas progrediamur. In via enim Dei stare est retro cedere, non proficere est deficere; unde jubemur in regulis desiderare et consequi omnem perfectionem in nostra vocatione. Quamdiu enim vivimus, nobis eundum est *de virtute in virtutem*, ut cum Paulo tandem dicere possimus: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi* (2. Tim. 4, 7). *Gratia ejus in me vacua non fuit. Sic currite, ut comprehendatis* (1. Cor. 15, 10. 9, 24). Ubi non est hoc desiderium et studium, ibi non est esuries et sitis justitiæ, ibi non quæritur primum regnum Dei et justitia ejus, ibi non exuitur vetus homo nec induitur novus.

3. Quid sibi vult illud: *Videbitur Deus Deorum in Sion?* Est hic finis ultimus virtutum, ut earum sectatores videant Deum in futura vita et cœlesti Jerusalem, et hoc est proprium præmium electorum, de quibus Christus dixit: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (Matth. 5, 8). Et: *Hæc est autem*

vita æterna, ut cognoscant te, solum verum Deum, et quem misisti, Jesum Christum (Joan. 17, 3).

II. Quomodo ad virtutes et earum studium in Scriptura excitamur?

Ethnici quidem multa hac de re scripserunt, v. g.: quod ad comparandam virtutem opus sit labore, abstinentia, fuga vitiorum; quod hominem divitem, nobilem, immortalem et divinum faciat, et quod per se appetenda sit; virtutis viam esse arduam, voluptatem inimicam esse virtuti, virtute insignes esse raros, virtutem auro esse nobiliorem, eam circa difficilia versari, virtuti nullum bonum deesse, virtute etiam pauperem esse clarum, Nerone digniorem ac nobiliorem; demum virtute præditos cœlum petere. Sed audiamus Scripturam. Licet enim non frequenter de virtute diserte loquatur, de illa tamen valent, quæ dicit de justitia, de viis Domini, de justificationibus; de illa vult intelligi multas similitudines, quas nobis Spiritus Sanctus in verbo Dei proponit et commendat.

Vigilate, inquit Paulus, *state in fide, viriliter agite et confortamini; omnia vestra in caritate fiant* (1 Cor. 16, 13. 14); hoc est: virtuti operam date. Quid enim est in se virtus? Secundum Ambrosium, virtus non est non posse peccare, sed firmiter nolle, atque ita tenere perseverantiam voluntatis. Secundum Augustinum, est diligere, quod diligendum est.

Æmulamini charismata meliora et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro (1 Cor. 12, 31). *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insi-*

dias diaboli etc. etc. (Eph. 6, 11.) Vult Deus, nos esse, sicut milites, ad pugnandum paratos cum armis convenientibus. Quid autem miles sine armis? quid peregrinus sine baculo et viatico? *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis et induentes novum* (Col. 3, 9). Ut scilicet placeamus Deo in nostra vocatione, abjiciendus est vetus homo et nova vestis assumenda, quæ filios Dei discernat a mundi filiis, ne alioquin dicatur nobis: *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* (Matth. 22, 12.)

Quis est status electorum novi Testamenti? *Jam hiems transiit, imber abiit et recessit, flores apparuerunt in terra nostra, ficus protulit grossos, vineæ florentes dederunt odorem suum* (Cant. cant. 2, 11). Vult scilicet Deus, in Ecclesiæ horto flores virtutum abundare, et fructus arborum colligi in terra benedicta, quales apud Judæos non reperiebantur; unde maledixit Christus apud illos ficulneæ, in qua invenit tantum folia. *Auferetur enim*, inquit, *a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus ejus* (Matth. 21).

Quælibet anima fidelis mundatur in baptismo ab omni macula, ut sit sponsa Christi, qui ornat illam variis donis virtutum, infundens in illam fidem, spem et caritatem, ut sit amica ejus et sponsa speciosa. *Quam pulchra es*, inquit, *amica mea, quam pulchra es!* Requirit autem ab illa, ut conservet et augeat splendorem virtutum et ad nuptias veniat ornata et nitida, ut totam delectet curiam cœlestem. De hoc ornatu ejus sponsæ docet liber Canticorum.

Sine virtute homo dicitur nudus, pauper, miser et miserabilis et indignus apparere in conspectu Dei. *Nescis, quia tu es miser et miserabilis et pauper et cæcus et nudus; suadeo tibi emere a me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias et vestimentis albis induaris, et non appareat confusio nuditatis tuæ* (Apoc. 3, 18). Quid enim virtus nisi bona margarita, quam ut emas, vendis merito omnia tua? Est quasi nummus probatæ monetæ, quo emitur regnum cœlorum.

8. De spiritu et zelo fidei.

In principio dicam aliquid de adventu et de sancto Nicolao et dein de fide seu zelo fidei. Sumus in prima adventus septimana, quæ me monet, ut cum Paulo dicam: *Fratres, hora est jam nos de somno surgere, nox præcessit, dies autem appropinquavit.* Quid est de somno surgere? Totum tempus præcedens quasi pro somno æstimandum et pro nocte, in qua ambulare non est tutum, sed periculosum. Si omnes fideles nunc e somno spirituali excitare se debent, multo magis nos religiosi excitare nos debemus hoc sacro tempore, quod majores nostri tam pie operibus pœnitentiæ, humilitatis, patientiæ, caritatis ornarunt et sanctificarunt. Rogo, ut, qui sibi proposuerunt augere orationem, devotionem et meditationem per adventum, in via Domini pergant atque ita se participes reddant gratiæ lætitiæ in die Natali Domini, paratæ his, qui per

adventum viam ei parant. Qui nondum inceperunt, ne expectent diutius, memores illius:

En agnus ad nos mittitur
Laxare gratis debitum ;
Omnes simul cum lacrymis
Precemur indulgentiam.

Peculiariter peto, ut abstineamus a verbis pungentibus et detractoriis et contentiosis ; etsi non magna et gravia hæc essent, tamen scriptum est : *Si quis autem putat, se religiosum esse, non refrænans linguam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio* (Jac. 1, 26).

Quantum ad festum sancti Nicolai, quum omnes Friburgenses hunc teneant patronum, per quem Deus in spiritualibus et temporalibus bona multa distribuit, suadeo singulis, talem patronum et sæpe colere et invocare, tanquam procuratorem et defensorem omnium hic et in vicinia habitantium ; petamus ab illo benedictionem Episcopo, nobis, collegio, scholæ, amicis et æmulis, contra multas tentationes et pro felici successu rerum spiritualium et temporalium. Discamus ab illo puritatem, quam a pueritia in se tenuit, misericordiam erga proximum, orationem et devotionem erga Deum perseverantem. Non mittimur ad exteros procul, saltem commendatam habeamus nobis vineam sancti Nicolai, qui nos cupit operarios fidos et, sicut credo, suis precibus obtinuit Societatis operam in hoc loco, paratus juvare nos plus quam omnes patroni et amici alii. Utinam tam divitem patrem familias, cui tam multa debemus, agnosceremus et majore fiducia nostras

necessitates et tentationes illi committeremus ! credo, multa sæpe nobis et aliis impetraremus.

Quod ad fidem attinet, ea prima virtus est et fundamentum virtutum, sine quo nemo justificatus et salvatus est. Hæc in mundo maxime defecit ob seductores et seductos, juxta Christi et Apostolorum prædictionem, ad quam conservandam et renovandam Deus institui voluit Societatem, ut in ea novi milites pugnarent contra fidei catholicæ hostes ad sanguinem usque, sicut quidam fecerunt. Quum igitur in medio hæreticorum versamur, dicam pauca nobis exercitanda circa hanc virtutem erga hæreticos. Imprimis orandus Deus pro vera fide nostrorum in vita et morte, quum graviter oppugnetur a spiritu erroris; et quoniam divinitus factum est, ut huc missi venerimus, nemo se excuset quasi hac in parte nihil facere possit, quum non sit prædicator, vel non versetur inter homines, nec mittatur aliquo ad hæreticos convertendos; sed certo credat, se non modo posse, sed et debere aliquid facere in subsidium sanorum et infirmorum in fide, et tanto magis, quo vicinior est adversariis fidei et *in medio nationis pravæ* suum edit panem. Nullus inter nos est sacerdos vel laicus, qui non possit et debeat ex animo compati tot millibus, qui vel ob fidem periclitantur, vel in via errorum ambulant ac proin in statu damnationis permanent; de quibus conqueritur Deus: *Non audivit populus meus vocem meam; et Israel non intendit mihi, et dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis*

(Ps. 80, 12, 13). Non potes quotidie pro inimicis flere sicut Hieremias et Paulus, non potes te flagellare ut Dominicus? At potes saltem suspirare, pectus tundere, semel Pater noster recitare vel Salve Regina vel psalmos graduales, vel hebdomadatim missam dicere vel audire. Dein nonne precari possumus omnes, ut, quod per nos fieri non potest, Deus per alios perfectiores et meliores suppleat hoc loco et alibi, ubi nostra sunt collegia, dicente Domino: *Messis quidem multa, operarii autem pauci? Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam* (Matth. 9, 37, 38)? Spiritus Sanctus nobis invocandus, ut mittat servos in opus ministerii, et ut præparet nostros ad sanctum laborem, utque augeat zelum fidei, patientiæ et caritatis necessarium in errantibus reducendis et in præparandis principiis bonis.

Notanda etiam industria, ut ex fidei hostibus discamus utilitatem capere, nimirum ea majoris faciendo et amando vehementius, quæ ipsi ex malo spiritu magis odio habent et fugiunt. Eorum autem spiritus est: proprio sensui inhærere, detrectare obedientiam præsertim erga prælatos, religionis vota spernere, non curare Sanctorum cultum, peregrinationes, opera devotionis, pœnitentiæ et humilitatis, neque confiteri peccata et indulgentias mereri.

Petere possumus spiritum bonum et gratiam ad bene conversandum cum hæreticis et nos offerre Domino ad patiendum aliquid pro seductis et dolere ac conqueri de nostra insufficientia, quod non potuerimus

nec possimus habere debitum zelum animarum et curam juvandi lapsos et infirmos.

Possumus laborare pro dono fidei in nobis augendo, ut dicamus : *Domine, adauge nobis fidem* (Luc. 17, 5). Sumus enim modicæ fidei sicut Petrus, raro incipientes aliquid tentare verbo vel opere in salutem proximorum, sicut et Apostoli ante Spiritum Sanctum acceptum. Impedit torpor et timor et pudor, non audemus experiri, non audemus exhortari et consolari et confirmare in fide fratres ac pusillos, nimium expectamus ac differimus, aliis scilicet interim rebus vanis occupati. Ubi est fides nostra? ubi desideria et studia fidei? Oh ! fides nostra dormit, non est viva, non est fervida, quæ magna faciat; fides enim, quæ per dilectionem operatur, pretiosa est margarita. Ubi fervor spiritus? Grave probrum, nos esse modicæ fidei et ita tenuis radicis.

Tanto aptiora erimus instrumenta ad piscandum, quanto magis confortati et ditati spiritu obedientiæ et caritatis fuerimus. Credat quisque nostrum se obligatum ad hæc hoc loco magis quam alibi, timeat sibi ob lapsum aliorum, petat conservationem et augmentum fidei, compatiatur leprosis, laboret per gratiam sibi et aliis, discatque quæ amanda et facienda.

9. De spe et confidentia.

Quoniam de fide, virtutum omnium fundamento et radice, dictum est, sine qua nemo fuit, nec esse po-

test justificatus et salvatus, nunc etiam de spe vel fiducia tractandum est, quæ et ipsa excellens donum Dei est et cuique ad justitiam et salutem necessaria. Unde Paulus dixit (1 Cor. 13, 13): *Nunc autem manent tria: fides, spes et caritas*, et (Rom. 5, 5): *Spes autem non confundit*. Ubi non est fides, homo manet incredulus et ira Dei manet super eum; ubi non est spes, homo de gratia Dei desperat, sicut Cain et Judas, et hæc duo peccata: incredulitas et desperatio, longe maxima sunt et nocentissima. Credunt et dæmones, Deum unum esse et trinum, Deum potentem, sapientem et justum; credunt omnia, quæ sunt in symbolo fidei et in sacris litteris expressa, scientes, quod *verbum Dei manet in æternum*, et Deum non posse mentiri in suis promissis et decretis; credunt, inquam, mundi creationem, Christi incarnationem; credunt futurum ultimum diem judicii et pœnas inferni æternas esse, sed carent spe participandi fructum ex omni sua cognitione, doctrina, industria vel arte. Credunt et fures et latrones de Deo et divinis cum Ecclesia et sine ulla dubitatione, deficit autem illis sæpe spes et fiducia misericordiæ et gratiæ et gloriæ consequendæ vel peccant ex nimia præsumptione et sine timore justitiæ divinæ. Dicam:

I. Quæ inductiva spei et fiduciæ;

II. Quæ sperare debeamus seu circa quæ exercenda confidentia;

III. Quæ nos impediant in fiducia, et quæ conferant ad illam habendam et augendam.

I. Viri sæculi confidunt in principibus, in quibus non est salus. Miles confidit in armis suis, principes confidunt in potestate, quam tenent, docti in arte et scientia, populus in divitiis, sanus in viribus corporis. Pauci considerant illud: *Maledictus homo, qui confidit in homine et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor ejus* (Jerem. 17, 5), et: *Benedictus vir, qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus* (Jerem. 17, 7). Debet homo in Deum habere confidentiam; quæ autem confirmant hominem in hac spe?

1. Bonitas et misericordia Dei immensa, summa, infinita, sui diffusiva et communicativa, libentius dans magna quam parva; vult et potest dare gratiam et gloriam, non tantum justis, sed et peccatoribus; bonitas Dei, qui est pater noster et quidem singulorum, qui nos amat, qui tam multa beneficia in nos immerentes contulit creando, gubernando, vocando, justificando, expectando, qui quotidie tam multa largitur et offert bonis et malis.

2. Christi Domini redemptoris clementia. *Venit enim quærere et salvare quod perierat* (Matth. 18, 11); qui et Jesus dici voluit, omnes invitans peccatores ad se, laborans et se totum offerens in cruce pro omnibus. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi* (1. Joan. 2, 2); cujus inopia divites reddimur, cujus livore sanamur, cujus sanguine abluimur. *Apud Dominum misericordia et copiosa apud eum redemptio* (Ps. 129, 7). Una enim ejus sanguinis gutta mundo

redimendo suffecisset. Respice ergo in faciem Christi tui, qui cupit esse tibi frater, mediator, sacrificium et pro te Patri satisfacere, imo vult esse cibus tuus.

3. Promissa tibi gratia, si velis eam amplecti. *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam* (Joan. 3, 16). *Omnis enim, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit* (Rom. 10, 13). Non enim satis est sperare in Deo et Dei promissis Christique meritis, nisi etiam accedat oratio divinitus homini commendata, ut omnes credentes orent pro gratia vel accipienda vel conservanda vel augenda et ad cavenda omnia mala corporis et animi.

Spes est duplex, nempe salutis, quæ in solo Deo ponenda est, et spes auxilii, quæ etiam in Sanctis poni potest, quia invocati a nobis sua intercessione multum possunt nobis apud regem æternum obtinere, præsertim Maria, mater gratiæ.

II. Quæ sperare debemus?

Quadruplicem confidentiam in Deum habere debemus, eamque requirit Deus a singulis:

1. De temporali sustentatione vitæ necessaria, juxta illud: *Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet* (Ps. 54, 23). Dominus enim, qui curam gerit nutriendi volucres in aëre, pisces in aqua et bestias in silvis, multo magis homines tam nobiliter creatos, ut eum habeant pastorem, tutorem, custodem, defensorem, immo et patrem suum, enutriet. Unde quilibet merito dicit: *Dominus sollicitus est mei.* (Ps. 39, 18);

Dominus regit me et nihil mihi deerit (Ps. 22, 1). *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis* (1. Pet. 5, 7). *Protector est omnium sperantium in se* (Ps. 17, 31). Hoc expertus est Jonas in ventre ceti, Daniel in lacu leonum, tres pueri in fornace ignis. Hinc vetamur in crastinum esse solliciti et jubemur primum quærere regnum Dei.

2. Confidere quisque debet de remissione peccatorum; Deum scilicet et velle sibi peccata remittere, quamvis multa et magna sint, et ea reapse sibi remittere, quoties ipse ad Deum se convertit, ex corde petens misericordiam sicut publicanus in templo et latro in cruce, quia Christus promisit pœnitentibus indulgentiam, et sacramentum pœnitentiæ instituit et ministros ad remittenda peccata.

3. Sperare debemus nos a Deo exaudiendos in omnibus, quæ recte petimus, præsertim spiritualia et æterna. *Omnia*, inquit Christus, *quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, et evenient vobis* (Marc. 11, 24). Exauditur omnis orans cum contritione et devotione et petens ea, quæ sunt salutis, præsertim spiritualia et æterna; nam temporalia sub conditione petenda sunt. Petenda sunt autem confidenter et sine hæsitatione.

4. Confidentiam requirit Deus de regno cœlesti nobis tribuendo. *Nolite timere, pusillus grex*, inquit Christus, *quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum* (Luc. 12, 32). *Omnes homines vult salvos fieri* (1 Tim. 2, 4); unde precamur: *Adveniat*

regnum tuum, et credimus non solum futuram vitam æternam, sed illam nobis etiam contingere ob Christi promissionem et merita, qui ascendit in cœlum parare nobis locum, et dixit : *Ubi sum ego, illic et minister meus erit* (Joan. 12, 26) ; et : *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut, ubi sum ego, et illi sint mecum* (Joan. 17, 24).

In his quatuor quilibet suam fiduciam debet exercere et in illa numquam deficere. *Nolite*, inquit Paulus, *amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem* (Hebr. 10, 35).

Non satis est ergo in intellectu pro certo tenere, quæ christiana veritas proponit confitenda, sed opus est etiam corde amplecti bona nobis a Deo ostensa et promissa, ut ea in hac vel futura vita consequamur. Multum est, sine errore et sine dubio credere et confiteri cum Ecclesia, præsertim cum multi hodie discedant a fide, et magna discessio facta sit; sed sicut sine fide Deo placere non possumus, ita neque sine fiducia. Frustra enim crederemus, Deum esse omnipotentem et benignum, qui velit magna et immensa dona electis conferre, nisi concipiamus quoque spem, eadem bona nobis reservari per Dei bonitatem, qui *protector est omnium sperantium in se*. Fides quidem illuminat, sed spes consolatur et confirmat in via, et vult Deus magis nos habere sperantes propter suam bonitatem, quam timentes propter suam justitiam, licet utroque modo suos electos exerceat in hac vita.

Sperare debemus in factis promissionibus, sed longanimiter expectando in tentationibus et adversis, patienter ferendo et consolando nos tempore infirmitatis, doloris, in bellis victoriam sperando contra hostes. Unde Habacuc (2, 3): *Si moram fecerit, expecta eum, veniens enim veniet et non tardabit.* Unde liquet, quomodo intelligi debeat illud: *A custodia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino* (Ps. 129, 6); et illud: *Sperantem in Domino misericordia circumdabit* (Ps. 31, 10). Qui enim sperat in Domino, non commovebitur, nec timebit, quid sibi faciat inimicus, quid caro, mundus et satan. Sperat enim in Domino, qui fecit cœlum et terram, et cum propheta Isaia dicit: *Ecce Deus, salvator meus, fiducialiter agam et non timebo* (12, 2). Nam in pressuris et calamitatibus spes maxime vim suam exerit et declarat. Unde liquet, quam sit dives quilibet christianus, semper habens causam se consolandi et in Domino gloriandi, quantumvis in corpore et animo affligatur. Hinc videmus in Sanctis antiquis, quomodo propter spem erexerunt animos et visibilia contempserunt et Domino se commendaverunt juxta illud: *In te speraverunt patres nostri, speraverunt et liberasti eos; ad te clamaverunt et salvi facti sunt; in te speraverunt et non sunt confusi* (Ps. 21, 5). Peccamus autem nos sæpenumero, quia, hac fiducia relicta, humana potius quam divina præsidia requirimus, quasi Deus nos non curet contra suam promissionem: *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo*

eum (Ps. 90, 15); *quoniam in me speravit, liberabo eum, protegam eum* (Ps. 90, 14). Ubi est fides et spes nostra in periculis et tribulationibus? *Respicite, filii, nationes hominum et scitote, quia nullus speravit in Domino et confusus est* (Eccli. 2, 11).

Unde notanda nobis exempla vere piorum Deo confidentium. Abraham multis annis speravit et expectavit promissum filium, quia centenario natus est ei Isaac (Gen. 18, 13). De Susanna scriptum est: *Erat cor ejus fiduciam habens in Domino* (Dan. 13, 35). *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo,* inquit Job (12, 15). Sic David sperabat in Domino, cum eum Saul in deserto persequeretur. Sic Jonas e ventre ceti salvus evasit, quia Domino fidebat et vovebat. Sic tres pueri in fornace conclusi Dei gratia protegebantur, quia confidebant in Dominum. Sic Macchabaei spe resurrectionis se consolabantur in tormentis et contemnebant abscisiones membrorum. Sic Simeon tamdiu expectavit redemptionem Israel.

Talem spem requirit Deus, quam qui non habet, non recte orat et facile fit pusillanimis in magnis tentationibus, et in cruce fit impatiens et Deum privat honore debito. Ob defectum hujus fiduciæ multi circa finem vitæ superantur a satana, et multi ex nobis æque peccant, sicut Moyses et Aaron, non glorificantes Deum ad aquas contradictionis, quod non haberent firmam fiduciam de adfutura sibi paterna cura et providentia Dei, et quia non sanctificaverunt Deum, terram promissionis ingredi non potuerunt.

Utinam agnoscamus hoc peccatum, quod tam parum Deo fidimus, non observantes illud: *omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis* (1. Pet. 5, 7). Hinc origo multarum imperfectionum, præsertim circa orationem, fortitudinem, patientiam, longanimitatem.

III. Bonitas Dei numquam deest servis suis vere in eum confidentibus, nec in temporalibus nec in spiritualibus, plus etiam largiendo eis, quam necesse est, cum sit liberalis tutor orphanorum, et *spes non confundat*, si justa, convenientia sperantur et in fide petuntur non hæsitando. *Quis enim permansit in mandatis ejus et derelictus est? aut quis invocavit eum et despexit illum? quoniam pius et misericors est Deus* (Eccli. 2, 12). Sed confidentiam in Deo nobis impedit memoria, amor, sollicitudo terrenorum nimiaque carnis cura, quæ ipsa plurimum impedit curam spiritualem animæ; confidentiam nobis impedit, quod cupimus esse devoti et perfecti sine labore et exercitio, et sancti sine vera sanctitate. Si volumus vere habere fiduciam in Deum, adeo nobis necessariam, observanda sunt nobis illa, quæ ad fiduciam veram conferunt et eam augent in religiosis. Talia sunt:

1. Simplicem habere intentionem in omnibus actionibus. *Qui enim ambulat simpliciter, ambulat confidenter* (Prov. 10, 9). Ubi non est columbina simplicitas, homo decrescit potius quam crescit in vera confidentia.

2. Huc spectat conscientia pura, quæ non maculatur vitiis, unde Joannes dicit: *Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, et quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata ejus custodimus, et ea, quæ sunt placita coram eo, facimus* (1. Joan. 3, 21).

3. Confidentiam parit et auget victoria sui et tentationum et passionum occurrentium. Quo magis nos ipsos et hostes animæ vicerimus, sicut pigritiam, iram, complacentiam, delectationem sensus, eo magis proficiemus in fiducia. Unde tanta fiducia Paulo, ut diceret: *Quis nos separabit a caritate Christi?* (Rom. 8, 35). Quia scilicet perfecte vicerat mundum, carnem et seipsum, solum Christum desiderans. Unde discimus, falli religiosos, qui nimium fidunt in externis donis acceptis, cum sciunt bene scribere, docere, prædicare, et in suis officiis et actionibus tum nostris tum externis satisfacere ac placere possunt. Falluntur confidentes, quod in gravibus peccatis non sint reprehensibiles, nec pœnitentias externas mereantur, neque gravibus tentationibus sint obnoxii. Vera enim confidentia collocanda est in Deo et ejus gratia; *fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est* (2. Cor. 3, 5). Dein fiducia nostra, ut dixi, collocanda est in intentione simplici et conscientia pura et præsertim in victoria, contemptu et abnegatione nostri ipsorum zeloque perfectionis seu justitiæ vocationi notræ congruen-

tis, quæ semper ad majorem perfectionem nos jubet extendi. Quo enim magis nos ipsos extenderimus ad anteriora et cooperantes fuerimus gratiæ, eo melius testimonium conscientiæ consequemur et ex conscientia confidentiam majorem in Deum.

10. De dignitate et excellentia caritatis et ejus signis.

Non temere dixit Paulus: *Nunc manent fides, spes, caritas, tria hæc: major autem horum est caritas* (1. Cor. 13, 13), nimirum indicans tres has virtutes homini maxime necessarias, ut salvetur, non solum in nova, sed etiam in veteri lege. Nisi homo credat, quasi cæcus ambulat et in tenebris manet, nec potest longa via pergere et sæpe graviter impingit. Nisi fiduciam habeat in Deum, est sicut navis sine anchora, sicut miles sine armis, peregrinus sine baculo, et manet sicut puer, nesciens ambulare et firmus consistere in tempestate. Nisi caritatem habeat, obest illi magis quam prodest, quidquid boni habet, ut sanitas, robur, doctrina, sapientia, immo et fides et spes illum non salvant, sed augent ejus damnationem. Quid profuit invitato ad nuptias regis ibi discumbere, quum careret veste nuptiali? Non solum reprehensus, sed et ejectus est (Matth. 23, 13). Quid profuit virginibus fatuis, per fidem agnovisse sponsum et cum spe orasse: *Domine, Domine, aperi nobis* (Matth. 25, 11)? non agnoscuntur, sed excluduntur a sponso, quod in suis lampadibus non adferrent oleum caritatis.

Dicam ergo I. DE CARITATIS DIGNITATE ET EXCELLENTIA.

II. QUIBUS SIGNIS AGNOSCI POSSIT VERAM IN DEUM HABENS CARITATEM.

I. Magna debet virtus esse caritatis, eo quod vocetur virtutum omnium mater et regina, quod primatum teneat inter omnes fructus spiritus apud Paulum, et quod sit inter omnia Dei præcepta primum et maximum. Primum est in intentione legislatoris, primum et maximum dignitate inter omnia Dei præcepta et summa legis atque Scripturæ divinitus traditæ. *Est enim finis præceptorum et divinæ legis plenitudo* (Rom. 13, 10). Omnia enim a Deo dicta, facta, mandata et scripta in Bibliis ad hoc unum destinantur et in eo continentur, ut Deus ab homine super omnia diligatur. Hoc præcipit lex, hoc exigunt prophetæ, hoc psalmi concinunt, hoc volunt apostolicæ litteræ. Ad hoc unum præceptum referri debent omnia Spiritus Sancti charismata, omnia Ecclesiæ sacramenta, omnes sacræ cærimoniæ, tria vota monastica, omnis Dei cultus, omnes creaturæ, ut nempe mens nostra Deo amoris glutine copuletur; huc demum tanquam ad ultimum finem omnia referenda: *Finis præcepti caritas* (1. Timoth. 1, 5).

Est primum et maximum præceptum merendi virtute et ratione, quia, sicut nullum corporis membrum ex se vitam habet, nisi ab anima sumat illam, ita nullum virtutis opus ante Deum meriti rationem habet, nisi a caritate tanquam a cœlesti forma eam

trahat. Unde S. Augustinus : *Adde caritatem, prosunt omnia ; detrahe caritatem, nihil prosunt cetera* (Serm. 138) ; et S. Thomas dicit, nullam virtutem quamvis eximiam sine caritate simpliciter et absolute veram virtutem dici posse, quia mereri non possumus virtute morali veram felicitatem, quæ in aperta Dei visione consistit (Summ. I. 2dae q. 65, a. 2). Quid igitur caritate utilius, pretiosius, securius ?

Est præceptum primum duratione et perpetuitate ; fides enim et spes multaque virtutum opera, quæ ad misericordiam spectant, locum non habent in cœlesti patria. Fides, hic obscura, cum aperta divinæ pulchritudinis visione commutabitur ; spes futuræ retributionis ibi bonorum omnium possessionem habebit ; caritas autem non excidit et, quæ hic imperfecta est, ibi maxime perficietur et inflammabitur.

Mandatum hoc ut maximum, ita et summe necessarium, quo servato, tota decalogi lex observatur : *Qui enim diligit, legem implevit.* Christianæ philosophiæ et salutis nostræ summa in Dei dilectione consistit. Ex caritate pendent omnia, quæ meritoria esse debent. Magna caritas, magna justitia ; parva caritas, parva justitia. Cum caritate omnis dives efficitur, sine illa manent omnes pauperes, ægroti, miseri, nudi, damnandi. Qui non habet caritatem, nec Deum, nec Angelos habet faventes, nec partem cum electis in triumphante et militante Ecclesia. *Qui non diligit, manet in morte* (1. Joan. 3, 14), sicut ipse dæmon. Caritatem habens pulchram habet animam, quæ est

amica et sponsa Dei, dilecta etiam Angelis; nec pulchrius indumentum reperitur. Carens caritate animam habet deformem, et corpus nigrum, grave, ponderosum resumet in resurrectione. Qualis est dilectio hominis, talis, inquit Augustinus, est homo; si terram diligis, terra es; si cœlum diligis, cœlum es; si autem Deum diligis, non audeo dicere, quod Deus es, sed audi prophetam dicentem: *Ego dixi: Dii estis et filii Excelsi omnes* (Tract. II in ep. Joan.).

Quid hoc vinculo firmius, quo homo per caritatem unitur cum Deo? *Qui enim adhæret Domino, unus spiritus est* (1. Cor. 6, 17). Unitur et cum proximo, quem diligit sicut seipsum, nullum odiens et omnes in amore fraternitatis complectens; unitur et cum semetipso, gaudium et pacem inveniens, et fit particeps omnium amantium Deum.

Quid hoc jugo Christi suavius, de quo dictum est: *Jugum meum suave est et onus meum leve* (Matth. 11, 30)?

Quid facilius quam velle et voluntatem habere bonam? caritas autem in voluntate bona consistit, nec est aliud quam magna et fervens voluntas et desiderium Deo serviendi, Deo placendi et Deo fruendi; nihilque ditius bona voluntate, quam Deus etiam pro facto accipit, cum volueris bonum et non potueris operari.

Hæc caritas est via Dei ad homines et rursus via hominis ad Deum, qui mansionem in homine habere non potest, ubi caritas non est. Per hanc ad Deum convertimur, in Deum transformamur, Deo adhæremus

et unimur, ut unus cum eo spiritus hic in gratia et ibi in gloria efficiamur.

II. De signis caritatis.

Non potest certo et evidenter et infallibiliter cognosci, quis veram habeat caritatem Dei, nisi Deus hoc alicui revelet; nec de seipso etiam potest habere certitudinem, cum scriptum sit: *Nescit homo, utrum amore vel odio dignus sit* (Eccl. 9, 1). Sunt tamen signa quædam, ex quibus homo se consolari potest et firmiter sperare debet, quod in caritate vivat et Deum diligat, sicut Petrus dicens: *Domine, tu scis, quia amo te* (Joan. 21, 15).

1. Unum et magnum signum, nos habere caritatem, est assidua et suavis Dei cogitatio secundum illud: *Ubi enim est thesaurus tuus* (quem scilicet maxime diligis), *ibi est et cor tuum* (Matth. 6, 21), id est, ibi est cogitatio et omnis cura tua. Unde Fulgentius: *Vis*, inquit, *scire, ubi thesaurizas? attende, quid cogites, ita fiet, ut thesaurum tuum ex indicio tuæ cogitationis cognoscas.* Magni ergo refert, ut sæpe divina cogitemus et in Deum per amorem nos excitemus, præsertim orationis tempore, et in principio operationis, ut primum quæramus Deum. Væ raro de Deo cogitantibus et plane terrenis, ut avaris et ambitiosis!

2. Conjectura est divinæ legi obedire. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit* (Joan. 14, 29). *Si diligitis me, mandata mea servate* (Joan. 14, 15). *Probatio dilectionis exhibitio est operis. Amor operatur magna, si est; si autem operari renuit, amor non*

est (S. Greg. M. hom. 30). *Hæc est enim caritas, ut mandata ejus custodiamus* (1. ep. Joan. 5, 3). Quantum Deum diligas, inquit Augustinus, debes ex dilectione legis ejus ostendere; fallunt ergo seipsos, qui Deum se diligere putant et legem ejus non diligunt, nec implere contendunt, nec orant, ut possint filii esse obedientes.

3. Signum est caritatis, desiderium habere placendi Deo et odisse Dei dilectioni adversantia, præsertim mortalia peccata. Sicut enim nemo potest diligere vitam, quin oderit mortem, ita nemo Deum diligere potest, quin et mortiferum peccatum oderit, quod Deo maxime adversatur et contradicit.

4. Peccatorum occasiones vel ad peccatum pertrahentia fugienda sunt, sicut Dei hostes: dæmon, mundus et caro, quæ hominis saluti semper insidiantur. Præcipuus autem hostis est, qui difficilius etiam ab homine superatur, ipse homo sibi, id est, sui amor immoderatus, malorum omnium origo omniumque ruina virtutum. Sicut enim radix omnium malorum cupiditas, sic radix omnium bonorum caritas, ideoque ambæ simul in eadem mente esse non possunt.

5. Verum indicium caritatis præbetur, si homo hominem ad Dei imaginem conditum et Christi sanguine redemptum vera et fraterna diligat caritate; hoc autem fieri non potest, nisi caveat nocere proximo tum corde, tum lingua: nullum injuria afficiendo, et peccantibus condonando, dein consilio et opera sua, cum opus fuerit, illum fideliter adjuvando, ut *alter alterius onera*

portet (Gal. 6, 2), seque filium ostendat Patris, qui de bonis et malis bene mereri non cessat, amans omnes etiam inimicos.

11. De inductivis ad amandum Deum et de modo et mediis.

I. Inductiva ad amandum Deum.

1. Naturalis Dei bonitas. Homo sine amore vivere non potest; ipsi enim naturale est amare, natura namque ipsa ipsum inclinat ad amandum bonum; ergo necesse est, ut homo diligat Deum, qui bonus, super omnia bonus est, immo ipsa bonitas, ergo et super omnia propter se diligendus. Anima nostra naturaliter amore inclinatur in Deum et naturalius diligit Deum quam seipsam, nisi oblivio legis naturalis et peccatum consequens eam a naturali propensione alienaret.

2. Amor Dei in nos. Deus nostra opera non indigens amat nos ab æterno, continuo, gratis, sine lucro. Ostendit et vera signa amoris, communicando se homini magis quam aliis creaturis. Deus ipse dilexit hominem excellenter; nam maximam illi caritatem ostendit: primum in creatione, quod hominem creavit, non sicut alias creaturas, sed nobilius ad imaginem et similitudinem suam, et constituit eum principem mundi et dominum creaturarum, omnia pedibus ejus subjiciendo; secundo in assumptione carnis, ubi plus dilexit hominem quam angelum, quia non naturam angeli, sed hominis assumpsit et proprio sanguine

illum reparavit; tertio in tolerantia passionis, plus hominem diligendo quam seipsum, quia corpus et vitam pro illo expendit; quarto in institutione Eucharistiæ, non enim satis illi fuit in cruce pro homine pati et mori, sed se ipsi suamque carnem suumque sanguinem tribuit in sacrificium et cibum et vult ab ipso tangi, offerri, edi et insuper in carne sua gloriosa videri ab homine; nam illi suam naturam divinam humanæ unitam in cœlo semper ostendet juxta illud: *Credo, quia Redemptor meus vivit, et in carne mea videbo Deum, Salvatorem meum* (Job 19, 25). Vult et eum sedere secum in throno, et illi ministrare in regno suo et illum sibi facere hæredem et cohæredem. Cum ergo proclives simus ad diligendum benefactores, nonne diligere debemus Deum, qui caritate perpetua dilexit nos et attraxit nos miserans (Jerem. 31, 3), et tam multa bona nobis præstitit, et qui post creationem et redemptionem et sanctificationem quotidie omni tempore et hora nobis benefacit, et beneficiis novis nos semper allicit et ad amandum ipsum nos provocat, nos gubernans, sustentans et pascens? Sed hæc beneficia recogitanda, pensanda, ponderanda sunt, ut ignem divini amoris in cordibus nostris incendamus et in amore crescamus; nam non crescit, sed extinguitur apud obliviosos et ingratos, qui raro cogitant, Deum sibi esse creatorem, redemptorem, dominum, patrem et benefactorem. *Ipse fecit nos et non ipsi nos* (Ps. 99, 3). Ipse Dominus, et nos servi; ipse pater, et nos filii; ipse pastor ovium,

et nos oves. Nonne igitur illum diligamus, a quo et accepimus vitam, corpus et animam et temporalia et spiritualia, et promissa nobis habemus æterna? Amor enim nonnisi amore potest rependi, præsertim pro tantis beneficiis et meritis, et quia nihil habet homo, quod possit liberius et magis spontanee præter amorem exhibere, quoniam est rationalis et liberum habet arbitrium.

3. Exigit lex divina, omnes et singulos homines obligans. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota fortitudine tua* (Deut. 6, 5). Hoc est primum et maximum mandatum veteris et novi testamenti, immo summa mandatorum; unde sequitur, Deum inter et super omnia mandata caritatem ab homine requirere, et homini curandum, ut hoc præceptum servet, Deum scilicet diligat. Jam cum homo necessario amet bonum, et amor boni naturalis naturaliter homini christiano sit inditus, et supernaturalis ipsi sit infusus, quid magis naturale seu naturæ ejus conforme est quam amare summum bonum, Deum, etiam sine lege? Quid justius quam amare Deum, qui prior dilexit nos? quid nobilius, quid sublimius? Nullus certe actus virtutis nobilior quam redamare talem Patrem; est enim actus angelicus, est actus divinus. Nulla virtus excellentior; caritas enim sceptrum tenet in choro virtutum, tanquam regina earum, ceterasque ut comites secum ducit et pedissequas, siquidem, ubicumque illa sedem ponit, nullam virtutem otiosam et ignavam permanere pati-

tur. Est et fundamentum, finis et forma ceterarum. Quid melius caritate? Optimum, quod homo facere potest, est amare Deum. Quid beatius? Solus Deus nostrum implet desiderium, alia potius sitim augent, quam satiant, extra Deum homo non potest quiescere: fecisti nos, Domine, ad te, et irrequietum est cor nostrum, donec requiescat in te, scilicet in amore tuo (S. Augustinus). Quid fructuosius caritate? Caritas enim nos justificat et sanctificat, affert secum remissionem peccatorum (*remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, Luc. 7, 47), et reddit vel minima opera nostra meritoria. Totum enim fit meritorium, quod ex caritate desideramus, gemimus, loquimur, agimus, patimur, ita ut quolibet actu homo mereatur vitam æternam, quia caritas maxime Deum glorificat et majorem nobis gloriam in cœlo meretur. Quid est facilius quam amare? Nulla res tam parva et vilis est, quæ voluntate tantum acquiri possit; Dei autem amorem sola voluntate habere potest homo; caritas enim in bona voluntate consistit, nec est aliud quam fervens voluntas Deo serviendi, Deo placendi, Deo fruendi. Quid magis necessarium caritate? Sine caritate homo non placet Deo, non est ei via ad Deum sine caritate, inutilis est ejus operatio ad consequendam salutem, quia caritas radix est bonorum operum, sine hac virtutes infrugiferæ et nulla justitia. Hinc Paulus (1 Cor. 13) dicit, sine caritate nihil nobis prodesse: scientiam, prophetiam, fidem, miracula, martyrium. Immo sine caritate non observantur præ-

cepta: *Qui non diligit me, sermones meos non servat* (Joan. 14, 24). Sine caritate nulla merces bonorum operum, sine hac nemo videt Deum. Nullus potest gravari hoc præcepto caritatis, quia est *jugum suave et onus leve*, et quia ipsa caritas a Deo præcepta est simul adjutorium ad implendum præceptum et gratiam confert homini et laboris alleviationem affert; est enim jugum suave et onus leve, quod non onerat, sed portat vel delectabiliter onerat. Amor enim omnia vincit, amarum dulce efficit et, quod difficile est et laboriosum, jucundum reddit.

Quis non libenter amaret regem, non exigentem a subditis tributa vel vectigalia nisi amorem et reddentem cuique præmium pro minimo servitio? Jam Deus, Rex noster et Dominus, non aliud tributum a nobis exigit nisi amorem et vult tribuere nobis cœlum pro minimo servitio. Quis tam liberalis retributor est pro parvo labore? *Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi . . ut diligas eum ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo et in tota anima tua* (Deut. 10, 12)?

II. Quomodo diligendus Deus?

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota fortitudine tua (Deut. 6, 5).

Primum diligendus Deus *ex toto corde*, id est ex tota voluntate, quia dilectio a voluntate oritur: ex toto, inquam, corde, quia non vult Deus cor divisum, sed integrum. Dividit cor, qui Deo non totum cor tribuit, sed tantum partem; Deus autem est zelotypus,

vult solus amari, et sicut divisum corpus non vivit, ita neque cor divisum habet vitam : *Divisum est cor eorum, nunc interibunt* (Osee 10, 2).

Diligendus Deus *ex tota anima*, id est ex totc intellectu ad assentiendum his, quæ sunt fidei, et ad meditandum de Deo dilecto.

Diligendus *ex tota fortitudine*, id est secundum partem sensitivam et omnibus viribus, sive potentiis motivis et executivis ad operandum per dilectionem. Hinc putant aliqui, his verbis designari, debere hominem amori Dei consecrare omnem facultatem possibilem in animo et corpore, ut scilicet ubique et semper, quoad licet, se convertat ad Deum cum ardenti voluntate Deum cognitum laudandi et honorandi, siquidem omnes ad hoc creati et redempti sunt tanquam ad actum nobilissimum, quem Deus requirit ab homine, et homo ex jure naturali et divino ad hoc obligatur, ut Deum in omnibus et super omnia diligat, et ut, cum præceptum sit affirmativum et semper obliget, non autem pro semper, huic dilectioni ad minimum nihil contrarium operetur. Sic autem diligit homo Deum, si eum amat amore appretiative summo supra omnia, et nihil aliud diligit nisi propter Deum, eumque amat amore affectivo tanto, quanto potest, et omnia operatur propter ipsum, vel si ex sana Dei cognitione omnes cogitationes, intentiones, affectus, desideria, verba et operationes, omnem denique vitam refert ad Deum, a quo habet omnia, et cui debet omnia. Tanto autem perfectius hoc præceptum observatur,

quanto sæpius homo exercet actum caritatis et actualiter in Deum fertur omniaque sua ad hunc finem refert cum pura intentione, cum subjecto intellectu, cum ferventi affectu, cum viribus sensitivis et motivis, ita ut omnis actus hominis interior et exterior secundum Dei amorem reguletur.

Alia est perfectio caritatis in via et in patria, ubi præstatur plenitudo caritatis. Comprehensores, Angeli et Beati, sine ullo impedimento toti feruntur in Deum, quem vident facie ad faciem, feruntur jugiter et indesinenter et inhærent summo bono, nec inde unquam retrahuntur. Viatores vero hoc præceptum implent, cum Deum supra omnia amant et nihil aliud nisi propter Deum.

Major autem seu perfectior caritas requiritur a religiosis quam a sæcularibus, qui non se obligant ad observationem consiliorum et ad fervorem illum pure quærendi et amandi Deum in omnibus. Religiosi autem, qui votis religionis se obstringunt Deo, abjiciunt a se omnia impedimenta ab amore Dei removentia et amplectuntur omnia media hunc amorem promoventia; profitentur enim, se secuturos Christum pauperem, castum et obedientem cum abnegatione propriæ voluntatis, ut sic, abjectis impedimentis, soli Deo per caritatem adhæreant. Placent Deo sæculares, cum fuerint cum Martha rebus externis et curis domesticis occupati et vivunt sine peccato mortali. Magis placent Deo religiosi, eligentes optimam partem, quæ est caritas, et illam exercentes et retinentes et in ea proficientes

cum Magdalena, ut dicant : *Mihi adhærere Deo bonum est* (Ps. 72, 28). *Quis nos separabit a caritate Christi* (Rom. 7, 35)? *Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Defecit caro mea et cor meum : Deus cordis mei et pars mea Deus in æternum* (Ps. 72, 25. 26).

Multi sunt gradus veræ caritatis. Quidam habent caritatem incipientem, alii proficientem, alii perfectam. Pauci tamen semper in caritate perfecti reperiuntur, multi autem manent in caritate incipiente, semper hærentes in proposito, sed non crescentes in amore, propter tepiditatem et negligentiam in mediis adhibendis, ut proprium amorem vincant et divinum acquirant, et maxime propter consuetudinem et speciem pietatis, qua solent esse contenti. Alios impedit a profectu in caritate amor sui inordinatus, quo se ipsos nimium amant, non volentes se abnegare, veterem hominem mortificare, seipsos vincere ; talis enim amor mentem onerat, deprimit, excœcat oculos, inquinat, injicit vincula, pestis et hostis est veræ caritatis, cruciat, perturbat, radix et fomes est malorum et peccatorum et defectuum omnium. Alios impedit consuetudo agendi omnia vel pleraque ex impetu animi potius quam ex judicio rationis et principio amoris. Alios impedit nimia effusio ad exteriora et negligentia animum colligendi. Alii impediuntur inconstantia in bonis propositis et exercitiis. Alios impedit indevotio et tepiditas, quia non curant ignem caritatis in se accendere et conservare per orationem et meditationem quotidianam fer-

ventem; jam ignis non ardet, nisi appositis lignis. Alios impedit, quod non audiunt Spiritum Sanctum in eis loquentem et eos arguentem, nec aperiunt ostium pulsanti.

Humiliet se quisque, respiciendo præceptum et obligationem caritatis, quod hucusque non sincere studuerit redamare Deum, tam bonum, tam multa bona largientem et nos ad eum amandum continuis beneficiis provocantem, et non magis profecerit in amore, et serio proponat sibi ea media adhibere, quæ animam ejus disponent ad proficiendum in amore. Hæc sunt:

1. Mundare animam ab omni inordinato affectu erga se et creata.

2. Studere refrænandis et minuendis cupiditatibus et passionibus.

3. Reformare magis ac magis tres potentias animæ.

4. Fugere ea quæ distrahunt et se colligere sæpe.

5. Agere in omnibus ex simplici recta intentione.

6. Frequenter et ferventer orare ad Spiritum Sanctum, ut accendat in nobis ignem sui amoris.

7. Serio meditari beneficia Dei præterita, præsentia et futura.

8. Omne tempus impendere diligenter exercitiis spiritualibus quotidianis.

9. Assuescere orationibus ejaculatoriis, quæ non possunt esse sine fructu novæ illuminationis et gratiæ et virtutis et operationis spiritualis.

10. Magnam fovere familiaritatem cum Deo ubique locorum, etiam in mediis negotiis.

11. Libenter de Deo cogitare, loqui, audire et legere.

12. Christi passionem assidue recogitare et per viam crucis læte ambulare et se Christo crucifixo conformare.

12. De impedimentis caritatis submovendis.

Multa hucusque dixi de caritate Dei, de excellentia et necessitate ejus, de inductivis ad illam, sed circa eandem occurrit mihi gravissima quæstio tractanda, quæ nullo modo mihi est prætereunda, scilicet qui fiat, ut, de caritate tam multa scientes, audientes, meditantes et confitentes, illius vim et virtutem non magis in nobis sentiamus. Scimus et credimus, nos multis motivis urgeri et excitari ad amandum Deum, nihil magis homini congenitum quam amare; sine amore non vivitur. Nonne ipsa natura docet etiam infideles amare Deum ut summum bonum, fontem et finem bonorum, sicut docet filium amare patrem et benefactorem? Ergo multo magis debet nos excitare ad amandum illum, qui nos totos creavit et nos creavit tales, homines scilicet corpore et animo præditos, capaces rationis et beatitudinis, et propter nos in subsidium nostrum tot condidit et ordinavit creaturas, quæ omnes donantis Dei liberalitatem erga hominem prædicant, quem ipsis excelsiorem et tanquam mundi principem manifestant, cujus pedibus omnia subjecta, et mutis linguis excitant ad amorem conditoris sui.

Nonne fides catholica, quam profitemur, nos docet et testatur nobis illum imprimis amandum, qui sic dilexit mundum, ut Filium suum daret in redemptorem et salvatorem et cum illo donaret omnia nobis ad justitiam et salutem necessaria, daret, inquam, in fratrem, doctorem, exemplum, sacerdotem, sacrificium, immo in cibum, et insuper seipsum velit dare in præmium nosque in regno suo æterno visione et fruitione sua beare, qui solus vult et potest animos nostros satiare. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua* (Ps. 16, 15). Cur ergo, fratres, non diligimus Deum ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ex tota virtute? cur non diligimus eum dulciter et fortiter? cur non omnia contemnimus et relinquimus? cur nos ipsos non odimus et omnium obliviscimur, ut Deum solum amemus cum Paulo dicentes: *In his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos; certus sum enim, quia neque mors, neque vita ..... neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro* (Rom. 8, 37. 39).

Quid est bene vivere, spiritualem esse? quid Christum sequi? quid habere lucernas ardentes? quid hæc omnia, nisi diligere Deum? Qui ergo fit, ut caritas, cum sit divinitus missus ignis, non magis in nobis ardeat? Qui fit, cum sit arbor tam nobilis et frugifera, in terra cordis nostri plantata, ut non magis habeat et ostendat flores desideriorum spiritualium foliaque bonorum verborum et præsertim fructus piorum operum? Cur caritas, cui tanta inest vis, quæ est radix

omnium bonorum, quæ, ubicumque sedem ponit, nullam patitur virtutem otiosam et ignavam permanere, non magis operatur in nobis? Cur non magis amamus Deum, sicut ipse meretur et exigit Deus et status noster ab omnibus et singulis postulat? Unde, quæso, procedit hic defectus, fratres? Quid nos impedit in amando vere Deo caritate, non solum incipiente, sed proficiente et perfecta? Exponam hæc impedimenta nos ab amore Dei super omnia avocantia, ut illa submoveamus.

I. Primum impedimentum est natura et naturalis amor, per quem homo seipsum et suam utilitatem quærit et amat. Non est major hostis caritatis quam naturalis hic amor sui. Hunc amorem sui a divino amore discernere non est homini facile, quia perpetua pugna inter utrumque est homini sustinenda. Quæ natura tanto periculosior, quanto occultior, fallacior et insidiosior, etiam in spiritualibus rebus se admiscens et virtutem aliquando exercens non propter Deum, sed propter respectum hominum et propter præmium temporale. Nobis idem accidit, quod Apostolis baptizatis, in ultima cœna corpore et sanguine Christi refectis, bonam certe voluntatem habentibus, Christum ex toto corde amantibus et tam multa et magna ei pollicentibus. Cum autem essent in horto et ad orandum excitaret eos Christus, dicens illis: *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem* (Matth. 26, 41): accessit natura et reddidit eos cum ipso Petro obliviosos circa præceptum pigrosque in orando et vigilando, licet

magna instaret tentatio, in qua dein omnes succubuerunt ob carnis et naturæ infirmitatem, licet spiritus esset promptus; quia scilicet non vigilabant et orabant, ut armarent se contra tentationem, caro prævaluit, et victus est spiritus.

Quid ergo opus est facto, ut ignem caritatis contra hunc hostem conservemus?

1. Opus est lumine cognitionis, qualem quisque naturam et quas inclinationes malas habeat, et quæ remedia sint adhibenda, et quæ virtutes contrariæ sint exercendæ, ut monet regula decima quarta et vigesima.

2. Opus est examine particulari, cum vero proposito et desiderio proficiendi.

3. Opus est meminisse regulæ duodecimæ: *Majus ac impensius studium cujusque sit, quærere in Domino majorem sui abnegationem et continuam in rebus omnibus, quoad fieri poterit, mortificationem.* Ubi non est hoc desiderium proficiendi, hoc studium se in omnibus continuo abnegandi et mortificandi, non est via perveniendi ad caritatem ejusque perfectionem, sed homo manet frigidus in caritate et aliquando eam amittit penitus ob falsam securitatem.

II. Secundum impedimentum est sua agere ex mala consuetudine, procedere in agendis vel omittendis ex quodam naturæ impetu, nec observare regulam decimam septimam: *Omnes rectam habere intentionem studeant, etiam circa res omnes particulares, id semper in eis sincere spectantes, ut serviant et placeant di-*

vinæ bonitati propter seipsam et propter caritatem et eximia beneficia, quibus prævenit nos.

Mala consuetudo est, quod statim post novitiatum libertatem nobis assumimus nos aliis conformandi in his, quæ contra regulam fiunt, et præsertim, quod efficiamur amatores libertatis, quam in aliis deprehendimus, sequentes potius infirmiores quam fortiores in spiritu, unde fit, ut brevi tempore amittamus multa bona ex illis, quæ toto tempore novitiatus discere cœperamus, ædificantes scilicet sine fundamento.

Mala consuetudo est, quod putamus, sufficere nobis servare regulam secundum formam exteriorem, ita ut nostri defectus non appareant aliis, nec sint notabiles, negligentes internum spiritum in earum observatione; sed qui sic agunt speciem habent pietatis, sed virtutem ejus negant, non est vera caritas in eis.

Mala consuetudo est, quod negligimus curam examinandæ conscientiæ et amittamus pudorem debitum de defectibus nostris ob offensum Deum, et quod perdamus æstimationem debitam et desiderium sincerum promissæ perfectionis, non cogitantes, nos coram Deo et conscientia obligatos esse ad majorem Deo præstandam caritatem quam sæculares, qui non adstricti sunt ad consilia evangelica et ad viam perfectionis sectandam sicut nos, qui vi professionis nostræ debemus de virtute in virtutem procedere in diesque æmulari semper charismata meliora et ad altiora virtutum conscendere. *Æmulamini autem cha-*

rismata meliora, et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro (1 Cor. 12, 31).

Mala consuetudo est non observare insidias dæmonis, religioso insidiantis et inspirantis, ut parvos defectus parvi pendat et sic per eos paulatim amittat spiritum, omittendo ad spiritum pertinentia, utque parum curet observationem regularum variaque alia media negligat, quibus se in timore et amore conservet. Inde enim fit, ut putet, sibi non esse necessarium sicut prius orare, meditari, examinare conscientiam, colloqui et agere de rebus spiritualibus, vincere defectus, linguam et oculos et aures servare sub disciplina et sitire in dies majorem justitiam, licet velit amare Deum; et interim quærit etiam varia solatiola apud exteros, crescit in eo curiositas sciendi et judicandi et tractandi de rebus externis et conversandi cum sæcularibus, et sic paulatim in eo frigescit vel extinguitur ignis caritatis.

III. Tertium impedimentum est non habere curam devotionis, contra regulam vigesimam primam: *Omnes suum tempus rebus spiritualibus impendant et devotioni quærendæ pro mensura gratiæ Dei ipsis communicatæ insistant.* Quoad orandi tempus, hoc præscriptum est, sed non prohibitum orare et meditari sæpius. Nisi medium orationis accedat, non poterit quis in se excitare et conservare ignem caritatis. Ubi non est oratio, non est spiritus, non est devotio, non est fervor, non est gratia. Sunt autem brevia tempora orationis præscripta, ut nemo possit conqueri, et eo

magis culpabiles sunt iis temporibus seipsos in oratione et devotione impedientes. Tunc ostium debet esse clausum et animus elevatus cum magna reverentia et familiaritate erga præsentem divinam majestatem. Quid enim est oratio? Est status illuminatæ mentis ad fruendum Deo, quamdiu licet (S. August.); est hominis Deo adhærentis affectio, est familiaris quædam collocutio (S. Bernard.). Tunc colligendæ et præparandæ vires, quæ postea debent exerceri. Initium multarum tentationum et malorum est, quod in oratione cessamus, languemus. Inde præcipue sequitur ariditas spiritus, tepor et fastidium boni, inconstantia in propositis, ob res et sermones levis momenti impatientia, quia non cum Deo nos unimus per orationem. Inde quoque fit, ut non simus boni custodes legis internæ caritatis et etiam in parvis facile vincamur, pulsante nos tentatione. Sunt et alii abusus orandi, quos maxime procurat satan. Quidam orant quidem, sed sine præparatione, sine certo scopo, sine sapore, sine devotione, sine meditatione et ordine; spirituales esse volunt, sed sine labore, sine exercitio. Manna autem non datur nisi colligentibus. Inde non multum fructum referunt ex oratione, oratio non reddit illos alacres ad se vincendos, impigros ad laborandum et lætos in cruce, nec compatientes erga proximum afflictum, nec zelosos pro gloria Dei, pro bono Ecclesiæ afflictæ et salute animarum. Sicut enim orant, sic exaudiuntur; sicut orant, sic se examinant et sic proficiunt vel deficiunt in spiritu, et ita paulatim

fiunt crassioris conscientiæ et intepescunt, ut perfectionis sui status, caritatis Deo et proximo debitæ et obedientiæ tum interioris tum exterioris, quam debent Superioribus, curam magnam non habeant. Multorum enim malorum fons est neglectus vel malus usus orationis.

13. De humilitate et gradibus humilitatis.

Inter omnes virtutes, quas requirit Deus in suis fidelibus et præsertim religiosis, una, dicta humilitas christiana, est:

1. Tam excellens, utilis et salutaris, ut fundamentum, mater, custos et decus virtutum dicatur, sicut superbia radix, initium, causa et finis vitiorum dicitur.

2. Tam necessaria, ut sine illa reliquæ virtutes non placeant Deo, nec homini prodesse, sed obesse possint, sicut videmus in superbo pharisæo. Perit omne, quod agitur, si non sollicite in humilitate custoditur. Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi pulverem in vento portat, teste S. Gregorio.

3. Ab hac servanda nullus excipitur, immo *quanto magnus es, humilia te in omnibus.* (Eccl. 3, 20). Numquam in illa possumus nimium proficere, sed semper locum habet illud: *Humilia valde spiritum tuum* (Eccl. 7, 19); *recumbe in novissimo loco* (Luc. 14, 10); *discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (Matth. 11, 29); cujus humilitatem nullus attigit aut satis intellexit.

4. Est gratia specialis et vas gratiarum, quod ordinavit Deus ad gratiam accipiendam, conservandam, augendam.

5. Quid magis placet Deo, *qui in excelsis habitat et humilia respicit in cœlo et in terra* (Ps. 112, 6), *et qui humilia respicit et alta a longe cognoscit?* (Ps. 137, 6). Unde nec ferre potuit angelos et homines perdentes humilitatem. Quid magis gratum Christo? qui sapientibus abscondit et revelat parvulis mysteria, et viam humilitatis elegit et ambulavit ab initio nativitatis ad finem usque, humilians seipsum, ut parvulus fieret, servus et maledictum, immo et leprosus et vermis, et elegit parentes et discipulos humiles, docuit humilitatem præstandam in templo et cultu divino (Luc. 18, 14. Matth. 6, 5, 6), in domo et mensa (Luc. 14, 10), in jejunio, oratione et eleemosyna (Matth. 6, 1 seqq.), in benefactis omnibus, in verbis (Matth. 23, 8—12. Luc. 17, 10). Quid magis amat Spiritus Sanctus? *Ad quem respiciam*, inquit, *nisi ad pauperculum et contritum spiritu?* Breviter, nulla via, nulla spes, nullum medium melius, efficacius et certius ad gratiam et gloriam, nulla ratio melior ad honorem in cœlo et terra consequendum, quam spiritus humilitatis, cor humile. *Omnis enim, qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur* (Luc. 14, 11). *Humilibus dat gratiam* (Jac. 4, 6). *Nisi efficiamini, sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum* (Matth. 18, 3). *Humilem*

spiritu suscipiet gloria (Prov. 29, 33). Dicam ergo de humilitate et ejus gradibus.

Quid est humilitas? Secundum Bernardum, est virtus, qua verissima sui cognitione homo sibi ipsi vilescit; et (ibid. de grad. hum.) humilitas est contemptus propriæ excellentiæ. Immo est amor abjectionis sui sibi debitæ. Quomodo vero quis veram et perfectam humilitatem assequetur? Observabit illud, quod David monet de beato viro, qui ascensiones in corde suo disposuit, et veluti scalam sibi proponit humilitatem, per quam quotidie ascendat, et in hac scala paulatim ab inferioribus gradibus ad superiores ascendat, cogitando, quod semper tota vita satis habet exercitii, ut gradus illos perambulet, humiliando se coram Deo, coram proximo, coram seipso.

Primus gradus humilitatis est, ut quisque intellectum suum Deo et Dei verbo subjiciat, agnoscendo Deum majestatis omnia condentem et regentem, cui subjecta sunt visibilia et invisibilia in cœlo et in terra, credendo Deum, Deo et in Deum, et sic in captivitatem redigendo omnem intellectum in obsequium Christi (2 Cor. 10, 5).

Hunc gradum non tenent impii, dicentes vel credentes, non esse Deum et providentiam, nec Capharnaïta et sectarii verbo Dei contradicentes, illud non integre acceptantes, neque suum intellectum submittentes, de illo dubitantes vel et illo ad errorem abutentes.

Secundus gradus est, cum homo submittit Deo non solum intellectum, sed etiam voluntatem et memoriam,

ut ubique homo videat Deum, recordetur Dei et eum revereatur eique subjectionem et cultum debitum exhibeat, caveatque offendere summam bonitatem, sciens Deum esse omni servitio, cultu et amore dignum, cui omnes servire debeant. Hunc gradum non tenent intimorati et leves, contra Deum peccantes post agnitam ejus voluntatem.

Tertius gradus, cum homo non solum submittit se Deo secundum intellectum et voluntatem, sed etiam se humiliat coram Superioribus tanquam loco Dei constitutis, eos reverendo eisque perfecte obediendo, non solum jussa exequendo, sed et voluntatem et judicium uniendo cum eorum voluntate et judicio. Hanc obedientiam præstitit Christus, de quo S. Lucas: *Erat subditus illis* (2, 51). Quis? quibus? cur? quomodo? quamdiu? etc.

Quartus gradus est, cum homo se non præfert, nec præferri vult suis æqualibus, sed potius se illis conformat et æquat, verbis et signis, tota agendi ratione eis honorem exhibet. *Omnes honorate, fraternitatem diligite* (1 Pet. 2, 17), *honore invicem prævenientes* (Rom. 12, 10), *superiores invicem arbitrantes* (Phil. 2, 3).

Quintus gradus, cum se quis humiliat coram inferiore, sicut Scriptura monet (Eccli. 32, 1): *Rectorem te posuerunt, noli extolli, esto in illis quasi unus ex ipsis.* Ita Christus se humiliavit, ministrans discipulis et pedes illorum lavans et extergens linteo. *Qui major est vestrum, sit minister vester.* Ita Maria se humi-

liavit verbis, se vocans ancillam, facto, visitans cognatam suam Elisabeth.

Sextus gradus, cum quis non solum se humiliat coram Deo et proximo, sed etiam vitat occasiones superbiæ et diligenter quærit media, quibus in humilitate exerceatur et proficiat, sicut Joannes Baptista, qui, licet in gratia confirmatus, sese humiliavit in eo, quod ivit in desertum, vestem ex pilis camelorum habuit, carnem vili cibo et jejunio affligebat, demisse de se loquebatur, non audebat Christum baptizare, nisi jussus. Quis illo humilior et sanctior? Bona humilitas externa, si est signum et effectus interioris humilitatis.

Septimus gradus est, cum homo profunde se humiliat et voluntario animo se contemnit et patienter novit ferre humiliationem et injuriam, nec se excusat, nec replicat, nec murmurat, nec indignanter fert, nec cupit vindictam, sed cogitat, esse sic Dei voluntátem, et se dignum reputat pœna et opprobrio, et quasi surdus et mutus manet. *Ego autem factus sum sicut homo non audiens, nec habens in ore suo redargutiones* (Ps. 37, 15).

Octavus gradus est non solum ad injuriam illatam patientem se præbere, sed etiam desiderare contemptum et in eo gaudere, ob illum gratias agere et magni beneficii loco putare, quasi multum lucrum nobis obveniret. Sic Apostoli *gaudentes ibant a conspectu concilii, quia digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (Act. 5, 41). Nonne gloria est Christo conformari,

qui *saturatus est opprobriis* (Thren. 3, 30)? *Improperium expectavit cor meum et miseriam* (Ps. 68, 24). Multi volunt quidem esse humiles, sed non humiliari; non amant humiliationem. Sed quomodo potest homo tantum humilitatis assequi, ut et amet abjectionem?

Videtur difficile, immo coram mundo contemptibile, quod homo se ipsum ita contemnat, ut contemptum quærat et optet. Talis a mundo ut fatuus habetur. Sed hæc stultitia alta sapientia est. Ut homo eo perveniat, prodest, ut seipsum aspiciat et agnoscat, quærens a se: Unde es tu secundum corpus, et unde venisti? Nihil aliud es, nisi sperma fœtidum et putredo. Quid es nisi saccus stercorum, peregrinus, pauper, repletus multis miseriis, homo peccati, debitor mortis. Quid eris nisi cibus vermium, pulvis et cinis, fœtor et horror. Conceptus in culpa, natus in miseria, vivis in exilio, morieris in angustia. *Quid ergo superbis, terra et cinis* (Eccl. 10, 9), qui tuam sentinam tecum portas? *Humiliatio tua in medio tui* (Mich. 6, 14). *Memento, homo, quia pulvis es* (Gen. 3, 19). Si animam spectas, quomodo non humiliaberis, sive bona sive mala tua spectes?

1. Unde habes bona tua? si quid boni habes, habes aliunde.

2. Plus habes mali quam boni.

3. Bona tua sunt imperfecta.

4. Non secure habes, quia potes illa perdere.

5. Non habes independenter, sed cum onere annexo, ut rationem reddas et pro illis potes damnari.

Si vero mala consideras, nonne magnam habes causam te humiliandi?

Habes mala culpæ et pœnæ; si forte non habes peccata mortalia, tamen fateri debes: *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti* (Thren. 3, 22). Nescis, an remissa sint peccata tua, an sis in statu gratiæ, quia *nescit homo, an odio vel amore dignus sit* (Eccl. 9, 1). Dein nescis, qualis eris in fine, quomodo morieris. Multi bene cœperunt et male finierunt.

Vide supra te Deum, cui tanta debes, quæ numquam solvere poteris, paratum ad punienda peccata.

Vide in te naturam rebellem, pigram ad bonum, proclivem ad malum.

Vide juxta te hostes et tentationes undique.

Vide infra te infernum, quem timendum habes.

Sis ergo humilis corde, ore et opere, intus et foris, nunquam autem fies humilis, nisi volueris humiliari; humiliatio enim via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Si ergo virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis (S. Bern. epist. 88).

14. De industria vel arte, ut quis parvo labore multum lucrifacere possit.

Est nobis et humanæ naturæ nostræ congenitum, ut cupiamus aliquid habere sive multum sive parum, sicut videmus in pueris nondum loquendi peritis. Si datur illis pomum, apprehendunt avide, retinent libenter vel

edunt. Quo pueri magis adolescunt, eo plura desiderant magisque solliciti sunt ad habendum et conservandum. Senes maxime dicuntur avari et tenaces et anxii circa bona sua. Nec solum homo naturaliter desiderat habere et lucrifacere, sed pro magna tenet arte, quum parvo labore multa lucrari potest. Unde judicantur rustici miserabiliores quam cives, quia, quod lucrantur, constat illis majore labore, quam quod mercatores sibi comparant, quum debeant panem suum in sudore vultus comedere. Sic laudantur et aulici præ civibus, quia laboribus arduis non gravantur, servientes tamen suis principibus et bonos dies habentes, excurrentes ad recreationes, equitantes, venantes, ludentes, piscantes et tamen delicate viventes. Et quotidie videmus, quanta sit differentia inter dominos et servos, dominas et ancillas. Illi autem maxime ab hominibus laudantur, qui tenent eam artem, ut parum laborent et nihilo minus multum possideant. Videmus autem idem fieri in familia Christi, in qua multi multum laborant et parum lucrantur. Hi similes sunt operariis conductis in vinea pro uno denario diurno, quorum unus dicebat murmurando, cum accepit denarium: *Hi novissimi una hora fecerunt et pares nobis illos fecisti, qui portavimus pondus diei et æstus* (Matth. 20, 12). Sunt similes prophetis antiquis, de quibus Christus: *Ego misi vos metere, quod vos non laborastis; alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis* (Joan. 4, 38). Similes sunt Petro et Marthæ, circa multa distractis, quibus præfert Christus Joannem, quem

diligebat, recumbentem super pectus ejus, et Mariam sedentem ad pedes Domini (Joan. 13, 23. Luc. 10, 41, 42).

Hinc jam oritur quæstio, quomodo possimus hanc sanctam et nobilem artem discere, ut parvo labore multum apud Deum et in anima nostra lucremur, præsertim cum dicat Christus: *Quid prodest homini, si lucretur mundum universum.* Id confirmatur ab experientia quotidiana, quæ docet omnia, quæ lucramur, hic deserenda esse, ut et Cæsar fateri debeat cum Job: *Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc* (Job. 1, 21). Item cum Paulo: *Nihil intulimus in hunc mundum; haud dubium, quod nec auferre quid possumus* (1. Tim. 6, 7). *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas* (Eccle. 1, 2).

Dico: 1 quod vivere secundum spiritum arte potius constat, quam labore, et peritis in arte contingit, quod Christus promittit: *Jugum meum suave est et onus meum leve* (Matth. 11, 30). Unde dixere veteres: *Deo servire regnare est.* Tales periti habent pedes ad currendum in via Dei, sicut David et Paulus: *Viam mandatorum tuorum cucurri* (Ps. 118, 32); et: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi* (2. Tim. 4, 7). Habent facilitatem et voluptatem in Dei mandatis, quæ fiunt illis dulcia super mel et pretiosa super aurum et argentum. Errant igitur filii hujus sæculi, quibus nihil videtur durius, gravius, acerbius, tristius, quam secundum spiritum vivere et Deo servire ac spiritualia æternaque bona quærere. Nec advertunt, quomodo

ipsi multo gravius laborant et fatigantur in via iniquitatum, et cum majore molestia lucrantur infernum servientes dæmoni, quam electi, qui cœlum comparant Deo servientes. Quæ vita, quæ servitus tristior quam superborum, avarorum, luxuriantium etc.?

Dico: 2. vitam religiosorum divinitus institutam, ut parvo labore multum, immo et æterna præmia lucrentur homines, quibus idcirco Christus promisit centuplum in hac vita et dein bona cœlestia (Matth. 19, 29).

Parvus labor, promittere paupertatem; per hoc liberant se tot laboribus, anxietatibus, peregrinationibus, curis et periculis corporis et animæ, quibus expositi sunt tota vita mercatores, quorum omnis sollicitudo una hora sæpe perit in aqua vel igne, per fures et hostes aufertur. Religiosi insuper *nihil habentes omnia possidentes* sunt (2 Cor. 6, 10).

Parvus labor, dicere: voveo castitatem; per hoc autem liberant se curis nuptiarum, uxoris, filiorum sustentationis, afflictionum in conjugio occurrentium, ubi semper plus aquæ quam vini (Joan 2, 3, 7), tribulationem carnis habent (1. Cor. 7, 28), divisi sunt (1. Cor. 7, 33), non possunt venire (Luc. 14, 18).

Parvus labor, dicere: voveo obedientiam; et eo ipso provident sibi de necessario victu et amictu, de proprio pastore et magistro et medico animae; liberantur cura certi status eligendi; habent hospitium, inveniunt coquum, credentiarium, sartorem, libros, mensam et omnia necessaria, licet nihil cogitent. Parum relin-

quunt et ubique inveniunt patres, fratres, amicos, defensores; habent sibi præscriptum, quod curent, faciant, omittant ; et quo purius ex obedientia faciunt, eo plus merentur apud Deum, ac ditiores et nobiliores fiunt, quam principes fieri possunt, in cœli palatio. Nihil tam parvum, quod ibi fructum non adferat, immo in bonum cooperantur omnia.

Dico 3. ad artem istam clarius explicandam : felices esse religiosos præ cæteris statibus, qui non possunt tam commode servire Deo et parvo labore multum lucrifacere. En exercitia gratissima Deo, quibus delectatur, et homini fructuosissima, quæ maximis præmiis in coelo cohonestabuntur :

Primum est se, cor, corpus et animam cum tota voluntate offerre Deo. Nullum sacrificium excellentius, perfectius et acceptius Deo. *Fili mi, præbe cor tuum mihi* (Prov. 23, 26). In hoc maxime conformamur Christo, qui ex amore suum cor donavit animæ humanæ, et cupit esse intimus cordi nostro, illique gratiam suam infundere sine intermissione et augere bona sua in illo. Hoc donum est majus quam Salomonis, Magorum et omnium divitum, offerentium aurum et thesauros externos. Hoc unum necessarium præ omnibus officiis misericordiae, Deo sic adhærere Deumque amare et desiderare ferventer et de illo dulciter recogitare in meditatione. Hoc optimum et nobilissimum exercitium cordis, quod homo facere potest.

Secundum exercitium est ex parte quinque sensuum, ut sicut hospites faciamus, expectantes adventum

amici et idcirco e fenestra prospicientes, si usquam videant desideratum, cui obviam ire vellent. Quid est anima fidelis, nisi hospes habens quinque sensus sicut fenestras, et in illis dilectum quærit semper? Unde si videt pulchros flores, pulchras arbores, pulchras aves etc., hinc jam cogitat, o quam pulcher et amabilis, quam bonus ille, qui fecit haec! et sic a creatura statim in creatorem tendit.

Si audit cantare aves, musicos, campanas bene resonantes, ut aures delectentur, cogitat jam: o quam suavis vox dilecti vocans animas, unde dulcedo omnis procedit! O quomodo laudant sponsum tot sponsæ!

Præstantissimum, quod per oculos potest facere homo, est amoris lacrymas fundere et verbum Dei legere et in eo sicut in speculo se cernere. Quid optimum auribus? verbum Dei libenter audire et aures cordis ad custodiendum illud semper paratas habere. Quid fructuosissimum linguæ? laudare Deum et cum eo jugiter colloqui in oratione. Quid manibus? elevare eas in oratione sancta et spiritualia scribere ad ædificationem.

Tertium exercitium est movere et occupare corpus ex obedientia, ut jumentum paratum ad opus; et sic purificatur et sanctificatur totus homo; præparatur corpus ad gloriam resurrectionis, ut fiat clarius sole et fulgeat in regno Patris, quanto magis obedivit in arduis contra propriam voluntatem, Christo se conformans, qui factus est obediens usque ad mortem. Exercitium hoc corporis est optimum, cum illud

facimus Christo captivum in oculis, qui ab omni inutili et illicito visu se retrahunt et custodiunt ; in auribus, quæ avertuntur ab omnibus vanis audiendis ; in ore, linguam refraenando ab otiosis et nocivis. O quantam gloriam illis oculis reddet Christus ! immo se ipsum illis ostendet et claritatem vultus sui. Illis auribus cantica gloriæ resonabunt. Quantam vero laudem lingua illa poterit Deo cantare præ cæteris !

Quid facilius, quam gemere et suspirare ?. Si hoc fiat ex amore, coram Deo ascendit. *Propter miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exurgam.* Si desideras amare et laudare Deum, hinc suspirans vel ex contritione gemens, Deum ad te vocas, et vocatus venit et offert manum suam, immo seipsum, ut totum illum in te trahere possis uno gemitu, immo sola voluntate. Hic gemitus est sicut bonus odor reficiens hominem, lumen illuminans domum, sal sapidum faciens cibum. Vis cum merito dormire et dormiendo mereri ? trahe suspirium in unione laudis, qua omnis creatura Deum laudare tenetur ; in unione gratitudinis, quam Sancti in cœlo Deo persolvunt pro donis ipsis impensis ; in dolore de peccatis tuis et omnium, pro quibus passus est Dominus in cruce ; in desiderio omnis boni, quo egent mortales ad salutem æternam ; in oratione pro salute omnium tum vivorum tum mortuorum.

Quæ fercula Christo gratissima ? quod vinum lætificans ? gratias agere pro beneficiis ; orare pro peccatoribus qui sunt in statu damnationis, pro animabus

purgatorii, pro justis ut conserventur, pro tota Ecclesia, pro parvulis, simplicibus, tribulatis.

Præcipuum est, quod igne caritatis coquitur, sive cogitetur sive dicatur sive agatur vel sustineatur.

15 De examine particulari.

Habet hoc proprium Societas nostra, ut multa in constitutionibus et exercitiis proponat et exigat, ad examina pertinentia. Jubet enim examinari ad novitiatum aspirantes et in novitiatu degentes et ad vota vel professionem admittendos; item scholasticos, absolutis studiis, et ante gradus susceptionem. Aliud enim est examen novitiorum tempore probationis, aliud scholasticorum, qui ex studiis veniunt, aliud ad Societatem redeuntium, aliud eruditorum, præsertim si ad gradum vel ordinem promoveantur, aliud coadjutorum. Omnes etiam sexto quoque mense se examinare debent, professi vero et coadjutores formati saltem singulis annis, ut reddere possint rationem conscientiæ. Præterea omnes et singuli quotidie debent conscientiam examinare bis juxta quinque puncta.

Cur bonum et consultum est uti examine particulari? In regulis dicitur quotidianum; auctorem habet illum, qui sæpissime illo utebatur et dicere solebat, indignum esse panis edulio, qui se non examinaret; commendatur præfecto spirituali peculiariter, ut invigilet; omnes, fortes et debiles, videntur egere tali medicina; non requirit magnum laborem, tria complec-

tens tempora, matutinum ad proponendum, pomeridianum ad petendam rationem et discutiendum, vespertinum ad secundam discussionem. Requirit additiones de manu pectori admovenda, de collatione punctorum in dies et hebdomadas.

Cur sæpe hoc examen intermittitur aut frigide peragitur? Primo ob neglectum hominis interioris et ignorantiam defectuum, quibus subjacemus, ambulantes in tenebris, nimium nobis indulgentes nihilque solliciti de puritate conscientiæ, quæ cuique religioso maxime debet esse commendata. Sumus in vocatione liberiores, neque ponderamus obligationem, quam habemus de cordis puritate, de mortificatione sensualitatis, de abnegatione et victoria sui, de gratia comparanda, conservanda et augenda, de privati amoris et passionum extirpatione.

Non notamus damnum animæ, quando defectus nostros parum curamus et in vitiorum extirpatione cessamus. Vix fieri potest, ut in confessione bonam reddamus rationem sine hoc examine, quod indicium præbet boni militis quotidie pugnantis et seipsum vincentis et in via Dei proficientis, juxta illud : *Ibunt de virtute in virtutem, donec videatur Deus deorum in Sion* (Ps. 83, 8). Ubi non fit examen tale, non fiet etiam recte aliud generale quinque punctorum, juxta illud : *Sapiens timet et declinat a malo, stultus autem transilit et confidit* (Prov. 14, 16). Quomodo mortificari possunt mali habitus et passiones sine hoc examine? Quomodo arbor mala sine securi amputabitur?

Quomodo crescent bonæ herbæ, nisi malæ prius extirpentur? Non autem extirpantur, nisi prius cognoscantur; non cognoscuntur, nisi subinde considerentur, et Dei gratia quæratur per orationem et adhibeatur. *Beati mundo corde* (Matth. 5, 8). Talis autem munditia consistit in sola Dei gloria et proximi utilitate quærenda, in sanando intellectu et voluntate, in vitandis non solum mortalibus, sed et venialibus, in reformandis affectibus et in imperfectionibus, quoad fieri possit, minuendis, quas oportet observare et in nobis persequi mediante examine. *Qui enim spernit modica, paulatim decidet* (Eccl. 19, 1). Qui non se exercet in hoc examine, non seipsum cognoscere potest per actum prudentiæ; non vincit se, naturam et dæmonem per actum fortitudinis; privat se corona, quam bona voluntate et proposito posset acquirere; privatur gratia, quæ datur obedienti et conanti; caret gaudio spirituali ex fructu sumpti pharmaci. Breviter: cum posset mereri per actum prudentiæ, justitiæ, obedientiæ, fortitudinis, privat se omnibus his bonis et gratia et gloria singulari; reddet enim Deus unicuique mercedem secundum suum laborem (1. Cor. 3, 8). Non est talis bonus filius Patris Ignatii, qui nos docuit verbo et exemplo, ut quisque sæpius se colligat examinetque. Cur non observamus præsentiam Dei ubique? cur non in particulari formamus intentionem bonam? cur in obedientia sumus debiles, in oratione distracti, in mortificationis studio frigidi? nempe ob defectum hujus examinis.

EXAMINANDÆ QUOTIDIE CONSCIENTIÆ MODUS IN ORATIONIS FORMULAM TRADUCTUS IN TIRONUM COMMODITATEM ET UTILITATEM.

1. O æterne Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, ego summæ et ineffabili bonitati tuæ gratias per Jesum Christum, Redemptorem nostrum, immortales ago ob infinitam summorum beneficiorum multitudinem, quæ mihi, homini vilissimo, tam liberaliter contulisti et confers et singulari caritate quotidie meam vincis et superas ingratitudinem. Gratias tibi ago ex animo, quod me ad tuam cognitionem et fidem perduxeris, voluntatemque tibi perpetuo serviendi donaveris, omnibusque bonis spiritualibus exornaveris, præsidiisque confirmaveris. Gratias etiam ago, quod tam multis corporis bonis hodie me cumulasti. Si autem ego bonum aliquod opus feci hodie, id munus et beneficium tuæ liberalitatis agnosco, et illud, licet modicum, una cum meritis Mediatoris nostri Jesu Christi, quæ una tibi offero, accipere et virtutis defectus supplere digneris. Tantum rogo a te gratiam, ut et in me virtutis et perfectionis accessiones fiant, ut tuæ divinæ Majestatis honor et gloria una cum proximorum emolumento augeatur.

2. Spiritus Sancte Deus, humiliter flagitanti largire gratiam, ut omnium peccatorum et defectuum meorum possim recordari, et tua divina gratia ea omnia ex animo meo extirpes et evellas, quæ oculos tuæ divinæ Majestatis offendunt.

3. Hic unusquisque conscientiam suam discutiat a postremo examine, idque expendendo, num cogitatione, verbo, opere aut omissione deliquerit; quod si in animo delicta deprehenderit, 4. imprimis de iis doleat, tum 5. emendationem proponat cum Dei gratia:

En, Domine clementissime, quibus ego servus ingratus obsequiis innumera tua beneficia et admirabilem tuam erga me caritatem compensavi! quæ mala feci! quæ bona omisi! Has, quæso, culpas et labes tuo pretiosissimo sanguine eluere digneris, benignissime Redemptor, et simul meritorum tuorum applicatione supplere inopiam meam. Da mihi etiam tantum præsidii, ut in posterum mores meos vitæque totius rationes possim emendare. Tibi ego totum me trado atque committo, omniaque mea offero oroque, ut eam mihi gratiam conferas, ut in tuo sancto obsequio omnes vires cogitationesque animi et vires corporis collocare et consumere possim, qui es Deus benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

16. De solatiis et præsidiis servorum Dei, quibus se confortent in pugna spirituali.

Multae tentationes et tribulationes justorum; graves, potentes et astuti eorum hostes, præsertim dæmones, a quibus ob fragilitatem et ignorantiam homines merito timeant, cum sancti ab illis seducantur saepenumero, ipsi vero neminem timeant et ad pugnandum sint exercitatissimi et mille nocendi artes habeant.

Sunt tamen servis Dei multa praesidia, multa inter pugnandum solatia, quibus se aliosque confortent in pugna spirituali.

1. Habent enim imprimis nobilem potestatem liberi arbitrii, quæ a diabolo cogi non potest, nec impediri quin inter bonum et malum discernant et bonum eligant malumque repudient. In hac libertate homo non est diabolo inferior, immo præcellit eum, utpote qui liberum arbitrium ad malum habet inclinatum adeo ac depressum, ut ad bonum surgere nequeat. Non est ergo timendus hostis, inquit Gregorius, quia non potest vincere nisi volentem. Adeo infirmus est, ut nulli nocere possit, nisi ille prius deorsum se miserit. Unde Christo dixit: *Mitte te deorsum.*

2. Solatium est Spiritus Sancti gratia, quam habenti ad infirmitatis adjutorium non est timendus diabolus, qui eam nec habet, nec habere potest unquam. Hæc gratia fecit Apostolos invincibiles, estque armatura Dei, quæ si ab homine non abjicitur, non prævalet inimicus, sed superatur, sicut a multis superatus fuit. *Spiritus enim adjuvat infirmitatem nostram* (Rom. 8, 26), ut vincamus et possimus omnia quæ saluti congruunt.

3. Christus ligavit satanam et ita debilitavit, ut, Domino illo non permittente, vim electis non possit afferre in substantia, corpore vel anima. Hinc sine ejus facultate non potuit in porcos intrare (Matth. 8, 31).

4. Peculiaris protectio Dei est erga suos, quia fidelis non patitur eos tentari supra vires, novit fig-

mentum suum et custodit orphanos et afflictos. Immo Deus colligit proventum ex hostis tentationibus, ut fideles purgentur, illuminentur et crescant in gratia et gloria per spinas tentationum. Refrænatur ergo potestas diaboli, et divina ope confirmantur imbecilles fiuntque perfectiores et sapientiores in tentationibus, et victoriam referunt de hostibus. *Novit Dominus pios de tentationibus eripere* (2 Petr. 2, 9).

5. Non minus favent et assistunt angeli boni, quia resistunt et obsunt malo spiritui. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis* (Ps. 90, 11). *Plures nobiscum sunt quam cum illis* (4 Reg. 6, 16).

6. Juvamur a fratribus et fidelibus in Ecclesia, eamque multitudinem maligni spiritus pertimescunt, scientes electos per caritatem et concordiam unitos contra se et conglobatos. *Frater autem, qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma* (Prov. 18, 19).

7. Accedit Sanctorum in cœlis patrocinium et adjutorium, a quibus militantes in hac Ecclesia quotidie respiciuntur, foventur et confirmantur multis modis in pugna. Hinc illa efficax communio Sanctorum, quae quasi catena fortis utramque conjungit Ecclesiam vivosque et mortuos consociat, ita ut per illos auxilium de coelo veniat nobis, nostramque parvitatem defendat contra dæmones.

8. Promissam habent servi Dei protectionis divinæ gratiam eaque, sicut scuto inexpugnabili, se muniunt contra incursus hostium. Verax est, qui promisit, nec

fallit veritas: *Ecce ego vobiscum sum. Confidite, ego vici mundum* (Matth. 28, 20. Joh. 16, 33). *Clamabit ad me, et ego exaudiam eum* (Ps. 90, 15). *Petite et accipietis* (Joan. 14, 24). Non jussit, ut ex nostris viribus pugnemus et vincamus, sed suam promittit gratiam orantibus et fidentibus in omni necessitate. *Cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te* (2. Paral. 20. 12). *Nolite amittere confidentiam vestram, quae magnam habet remunerationem* (Hebr. 10, 35).

9. Cadentes in pugna boni habent Dominum, qui supponit manum suam, ne collidantur; uti Petrus cecidit, sed quia respexit eum Dominus, resurrexit fortior et ambulavit cautior, nec periit, ut Judas, qui omnino collisus non adjecit, ut resurgeret.

10. Ex ordinatione Dei in bonum cooperantur omnia diligentibus ipsum. Igitur diabolus, cum maxime tentat bonos, fabricat illis coronas perpetuas, sibi vero auget supplicia. Sic et mala nostra in bonum nobis cooperantur, saepe ut post casum humiles cautioresque reddamur

11. Adde medicinam sacramentorum, præsertim Eucharistiæ, contra morbos omnes et casus spirituales, quos procurat hostis; adde gratiam devotionis, ut ventum prosperum a Spiritu Sancto missum tempore navigationis contra piratas; adde religionis portum tot munitum tutelis statutorum et rituum.

Hactenus exposuimus solatia, quæ contra dæmonis potentiam habent boni; sed et contra illius astutiam munivit eos Deus, qui dedit illis Scripturæ sacræ thesaurum, bonorum virorum consilium, Christi et Sanctorum exemplum, Angelorum admonitionem, Spiritus Sancti magisterium, qui eos non sinit periculose errare, præsertim in rebus fidei, qui docet omnem veritatem, et *unctio ejus docet nos de omnibus* (1. Joan. 2, 27). Serpentem fecit Moyses, et is devoravit serpentes factos ex virgis magorum; quanto magis Christus vincit in suis ministris et sanctis astutiam dæmonum et mundi et hæreticorum. *Non est sapientia contra Dominum* (Prov. 21, 30). *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus* (1. Cor. 1, 25), immo et dæmonibus.

17. De patientia.

Consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes (1 Thess. 5, 14). Sic Paulus: specialiter autem jubet, ut spirituales id faciant *in spiritu lenitatis, non aspere, considerantes seipsos, ne et ipsi tententur* (Gal. 6, 1).

Sicut non est eadem tribulatio fidelium, sic etiam non potest esse idem modus consolandi. Quorumdam tribulatio est tantum intrinseca vel propter diffidentiam et pusillanimitatem et desperationem, ex qua tribulatione multi in vita et morte superantur et avertunt se a Deo et cadunt in potestatem dæmonis cum cor-

pore et anima. Quid periculosius? De tali tribulatione non dicam modo, sed tantum de communi tribulatione illorum, qui quotidie tentantur a paupertate, infirmitate, persecutione, fame, necessitate, adversitate, et ad patiendum sunt involuntarii, impatienter ferunt et aliquando alios offendunt, turbant, contristant.

Hi primum sciant, quod naturales illi motus, quibus etiam præoccupantur sapientes, non nocent, modo per superiores animæ vires in Deo et Dei voluntate fundati et immoti permaneamus, nec sinamus erumpere foras, ut alios perturbent; immo tales motus irascibiles ad multa bona prodesse possunt.

Nullus, qui in Deum et Dei providentiam credit, et Dei voluntatem fieri cupit, habet causam turbandi se vel alium ob quamlibet tribulationem, sed potius semper agendi gratias Deo ut provisori sapientissimo et optimo patri, qui in bonum nostrum eam permittit.

Quid turbaris, miser homo? perdis tempus, nihil prodest et nihil lucraris; duplicas malum, Deum offendis, qui jubet in patientia possidere animam; perdis coronam, quam Deus promittit et dat patientibus; facis crucem infrugiferam, ex qua multiplicem gratiam haurire posses; non credis, diligentibus Deum omnia cooperari in bonum. O si scires, quæ utilitas crucis et tribulationis, si recte illam feramus, orares pro cruce et in ea gauderes.

1. Crux sæpe nos a peccato revocat et occasionem tribuit minus delinquendi.

2. Debilitat veterem hominem, qui per prosperitatem facile excæcatur, seducitur et impedit spiritum. *Cum infirmor, tunc potens sum; virtus in infirmitate perficitur* (2 Cor. 12, 9).

3. Est medicina expellens multas animæ ægritudines, amara quidem, sed salutaris, liberans ægrotum a mille periculis et malis.

4. Est via arcta, ducens ad Deum, immo et impellens; mala enim, quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt* (Ps. 15, 4).

5. Tribulatio est magistra, docens orare. *Clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur* (Ps. 106, 6). Tribulatio docet mundum contemnere, cum mundi perfidiam et fallaciam experimur et ab amicis deserimur et affligimur; docet etiam, quales nos simus. Tribulatio probat justos, sicut ignis aurum, et multi primum discunt in infirmitate fidei suæ perfectionem vel imperfectionem.

6. Est pædagogus, puniens peccata præterita et temporali castigatione liberans a pœnis meritis, quas pati non possumus. Domine, hic ure, hic seca, ut in æternum parcas!

7. Facit nos fratres Christi et conformes imagini Filii Dei, qui crucem a juventute sibi impositam et assumptam portavit et numquam deposuit et in cruce fuit exaltatus et mortuus. Per hanc portam intravit in gloriam et omnes vult per eam intrare. Qui plus

patitur, plus habet fructus ex Christi passione. Si fugis crucem, non es Christo dignus, fugis salutem.

8. Est verum signum et nota, qua dignoscuntur electi, habituri perpetuum gaudium. *Beati, qui lugent* (Matth. 5, 5). *Vae vobis, qui ridetis* (Luc. 6, 25)!

Gloriosum et optabile pati. Cur ita?

1. Quid optabilius, quam habere Deum sibi præsentem auxilio? *Juxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde* (Ps. 33, 19).

2. Quod sacrificium Deo gratius, quam in cruce gratias agentis? *Invoca me in die tribulationis... et sacrificium laudis honorificabit me* (Ps. 49, 15. 23); sicut Christus numquam magis placuit Patri, quam dum in extrema desolatione ad eum in cruce clamavit.

3. Quæ obedientia Deo gratior et homini utilior, quam voluntarie crucem amplecti et in ea requiescere?

4. Quomodo se Deus ostendit benigniorem et fideliorem, quam quando nostri recordatur et suam caritatem declarat et amando nos castigat? *Ego, quos amo, arguo et castigo* (Apoc. 3, 19). Ita gratus erat David: *Bonum mihi, quia humiliasti me* (Ps. 118, 71). *Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt* (Ps. 22, 4). Non splendet aurum nisi per ignem probatum; pueri sine virgis non recte educantur.

5. Quæ via certior, propior et securior ad Deum, quam voluntarie propter Deum pati et cum Apostolis in cruce gaudere?

6. Quæ major securitas conscientiæ, quam quod per crucem te præparas ad consolationem, sciens esse

medium hoc certum et necessarium, ut per multas tribulationes intremus in gloriam? O quanta exultatio læte patientium! *Gaudete et exultate, quoniam merces vestra magna est in cœlis* (Matth. 5, 12); *quia momentaneum et leve tribulationis nostræ immensum gloriæ pondus operatur in nobis* (2. Cor 4, 17). Nonne bonum opus eleemosyna, oratio et jejunium? Sed non potes magis mereri ullo bono opere, quam in cruce gaudendo et Deum laudando ex caritate; et hoc signum est, Deum in corde tuo esse et quod verum habes et habebis fructum tribulationis, et quod Deus dat tibi novaque dabit dona.

7. Quomodo melius possumus conservare dona Dei quam per tribulationem?

8. Quos Christus magis dilexit, quam Apostolos, quibus tamen præcipue prædixit et promisit crucem et summam tribulationem? *Ecce mitto vos sicut oves in medio luporum* (Matth. 10, 16). *Mundus gaudebit, vos autem contristabimini* (Joan 16, 20). *Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo* (Joan 16, 2). Summa: nihil vult eos expectare a mundo quam tribulationem. Et quid sunt magis experti in illo triduo, quo Christus mortuus et sepultus est; imo et per totam vitam? *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua* (Ps. 125, 6), *facti sicut oves occisionis,* afflicti a Judaeis et gentibus etc. Sed et qui magis consolati quam Apostoli, videndo Christum in gloria?

Applica hæc ad Ecclesiam, quæ nunc exhibet imaginem sponsi sui Christi patientis et crucifixi. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam* (Matth. 16, 24). *Omnes, qui volunt pie vivere, persecutionem patientur* (2. Timoth. 3, 12). *Si compatimur, et conregnabimus* (2. Tim. 2, 12). *Calicem quidem meum bibetis* (Matth. 20, 23). Bibendus calix, et statim cum biberimus, omnia consummata. Promittit Christus gaudium, non simplex, sed cordis, immo perpetuum: *Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum; et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* (Joan. 16, 22).

18. De causis spiritualem nostrum progressum impedientibus et industriis ad proficiendum.

1. Qui fit, ut a Deo vocati ad statum spiritualem et perfectum non magis spirituales et perfecti simus? causa quæstionis. Experientia et propria conscientia docet, multos e nobis parum proficere in via incepta et vocatione. Non currimus, sed jacemus; non vigilamus, sed dormimus; retinemus et augemus vetera impedimenta; non calemus, sed frigemus. Deest nobis devotio erga Deum, obedientia erga superiores, caritas erga fratres. Deo servimus ex consuetudine, subjecti defectibus, ignavi milites, arbores infructuosæ. Nonnumquam sumus miserabiliores et culpabiliores multis exteris.

Prima causa est, quia sumus peregrinantes in vago, non ad verum scopum tendentes et sic nos ipsos in via Dei impedientes tardeque procedentes; dormimus cum Elia et jacemus sub arbore. Sunt ergo filii sæculi nobis prudentiores, ut agricolæ in agro laborantes ob spem fructus percipiendi suo tempore, ut mercatores per terram et mare currentes ad lucrandam pecuniam, ut milites pugnantes pro parvo stipendio. Non proponimus nobis præmium promissum castis eunuchis, abnegantibus se et renuntiantibus omnibus suis. *Habebis thesaurum in cœlo* (Matth. 19, 21). *Sedebitis super duodecim sedes* etc. (Matth. 19, 28). Deest viva fides et spes consequendi bravium a Christo promissum, et ideo non vim facimus nobis et cito terremur difficultate et tentatione objecta. Si vere spectaremus præmium, contemneremus laborem, molestiam, hostes et tentationes.

Secunda causa est non æstimare vocationem donum peculiare Dei inspirantis et auxiliantis omnibus, qui sequuntur vocantem Deum, ad bonum incipiendum et exsequendum; non cogitare gratiam et sanctitatem, quam Deus paratus est conferre cooperantibus, ut v.g. Patribus nostris.

Tertia causa est non referre omnia ad caritatem, ex qua tamen pendet omnis nostra perfectio. *Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet.* (1. Joan. 4, 16). Nulla virtus major ipsa, nos unit cum Deo, est mater et regina virtutum. *Diliges*

Dominum Deum tuum ex toto corde tuo (Matth. 22, 37). Propter hoc præceptum facimus vota et renuntiamus omni cupiditati, quæ venenum est caritatis et radix malorum omnium, renuntiamus concupiscentiæ oculorum et carnis et propriæ voluntatis. Tanto autem absumùs longius ab hoc præcepto, quanto frigidiores in caritate, quæ est finis præcepti, summa legis et vinculum perfectionis. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit* (Joan. 14, 23). Sine hac caritate non prodest, sed inflat scientia, eloquentia, donum concionandi et laborandi, et homo parum vel nihil meretur in suis exercitiis, licet magni æstimetur; nihil sine caritate prodest.

Quarta causa est, quod nescimus uti mediis et commodis in Societate concessis, sed facimus ut novem leprosi a Christo mundati et ingrati manentes solaque sanitate contenti.

1. Nescimus post peccatum erubescere in examine quotidiano coram Deo et angelis ejus, et ita cursim et ex more nos examinamus, sine pudore et proposito emendationis.

2. Nescimus redire ad cor, cum nos effundamus in res externas, et ita domum internam sæpe maculamus et raro mundamus.

3. Nescimus externos sensus refrænare et internos ad Deum convertere et cum Deo familiariter agere, præsertim tempore orationis et meditationis.

4. Nescimus puras intentiones habere et ad Dei gloriam cuncta referre, sed nos ipsos et consolationes

nostras quærimus, sensualitati propriæ indulgentes sine timore et amore Dei.

5. Nescimus redimere tempus et procurare nobis medicinam infirmitati nostræ convenientem, nec curamus observare cogitationes interiores, nimium amantes externam libertatem et sic deviantes a primævo spiritu Societatis, a simplicitate obedientiæ et studio perfectionis.

6. Nescimus renovare proposita proficiendi, quasi incipientes servire Deo. *Dixi : nunc cœpi.* (Ps. 76, 11). Opus est fortiter, audacter et continuo progredi, quia procul absumus a fine, parum proficimus, alii præcurrunt vel jam adepti sunt bravium.

Quinta causa est, quod non cavemus solita impedimenta spiritualium. Sumus inordinate dediti externis exercitiis et negotiis et ita privamur divina visitatione et consolatione. Licet intus etiam reprehendamur, amittimus spiritualem pudorem, filiam humilitatis et balsamum devotionis, immo et pacem cordis ; sumus surdi ad audiendum pulsantem Dominum ; sumus cæci ad videndum præsentia et futura ; sumus impudentes post offensum Dominum ; sumus tardi et pigri ad nos vincendos et mortificandos, et nimium commodorum amantes, nec nos abnegantes et crucem amplectentes ; sumus negligentes in exercitiis orationis ; sumus leves, præcipites et inconstantes, semper incipientes et fructum maturum non proferentes ; sumus non satis timorati et nimium confidentes ;

facimus omnia ex consuetudine et non ex interno spiritu amoris.

II. Industriæ ad excitanda in nobis desideria perfectionis.

1. Est via longa, difficilis, egens observatione, pugna et vigilantia.

2. Sancti in hac via peregrinati sudarunt, cucurrerunt, adepti sunt bravium.

3. Laboravit a conceptu suo Christus, licet perfectus.

4. En filios tenebrarum impigros in via mala ob nummos, ab omnibus se abstinent et vias difficiles ambulant.

5. Vocationis nostræ proprium est in via Dei progredi ad perfectionem, sicut vovimus.

6. Tempus breve datur, et hoc partim amisimus, partim erravimus a via, ut recuperare debeamus elapsum.

Momentaneum est quod vivimus; ascendendo autem, non volando pervenitur ad perfectionem (S. Bern.). *Propter te mortificamur tota die* (Ps. 43, 22). *Mortificate membra vestra* (Col. 3, 5). *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion* (Ps, 83, 8).

19. Impedimenta profectus.

Spiritualiter currentes in via Dei remoratur:

1. Nimia carnis cura, qua aspera et laboriosa plerique fugiunt, et ideo aridi inopesque spiritualibus bonis manent. *Sapientia enim non invenitur in terra suaviter viventium* (Job 28, 13). *Qui autem sunt*

Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis (Gal. 5, 24).

2. Tepiditas et indevotio. Multi enim cupiunt quidem esse devoti et spirituales et sancti, sed sine labore, sine exercitio, sine sanctitate; sufficit scilicet illis cortex sine nucleo, nomen sine re. His potest dici: *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite* (Joan. 8, 39). Hi inertiam omnem excutiant, quæ virtutem dissipat et vitia nutrit; manna non datur nisi colligentibus.

3. Animi instabilitas circa locum, circa statum, circa exercitia. Hi sibi nimium fidentes, nec satis Deo confidentes, multa tentant, certa pro incertis sæpe relinquunt et sic specie boni decipiuntur et plerumque non manent in sua vocatione, licet vocati a Deo.

4. Æstimatio sui et confidentia. His, qui potius in se quam in Domino gloriantur, opus est maxime humilitate. *Nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit* (Gal. 6, 3). Multos dejecit de firmitate firmitatis præsumptio, non est periculosior passio, quam sui et meritorum suorum confidentia. *Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat* (1 Cor. 10, 12).

20. Signa deficientium religiosorum.

1. Si nimium securi et negligentes, parum aut nihil proficiunt, quia cogitationibus vanis impediti, nec tempus, nec voluntatem habent, ut Deo vacent et conscientiæ, juxta suam vocationem.

2. Si non cogitant de votis Deo factis et eorum obligatione, nec quantum sit bonum divinitus vocari ad religionem, et rursus quantum sit malum a tali vocatione deficere.

3. Si mundi amore et negotiis delectantur et cum mundanis libenter conversantur.

4. Si magis amant propria quam communia.

5. Si nimium sibi indulgent et delicati sunt in cura corporis, alieni a vitæ austeritate et carnis mortificatione.

6. Si amant et quærunt dispensationes circa regulas suas.

7. Si non servant linguam, oculos et aures sub disciplina.

8. Si nimium sunt prudentes in suo sensu et murmurantes.

9. Si otium amant magis quam laborem et tempus consumunt inaniter.

Væ religiosis inobedientibus et murmurantibus! væ retro spectantibus et recedentibus! væ nimis anxiis circa temporalia, qui idcirco in spiritualibus impediuntur! væ indevotis et tepidis!

21. De caritate proximi.

Ex multis causis debemus sæpe loqui et libenter audire de proximi caritate. Dicit enim regula 18. summarii: *In concionibus domesticis de his rebus tractent, quæ ad sui abnegationem et in virtutibus profectum,*

et omnimodam perfectionem attinent, ad ea se invicem exhortando, et præcipue ad unionem et caritatem fraternam. Certum est, proprie nobis et Societati maxime competere exercitia caritatis fraternæ, non solum domi, sed et apud externos, sanos et ægrotos, ac etiam incarceratos et mortis reos et publice occidendos, in pace et bello, in terra marique. Hac nota distinguimur ab omnibus aliis religiosis, quorum scopus non est, sic operam dare non solum propriæ, sed et proximorum saluti et perfectioni ex vera caritate. Nostræ vocationis est diversa loca peragrare, et vitam agere in quavis mundi plaga, ubi majus Dei obsequium et animarum auxilium speratur.

I. Quæ nos ad caritatem excitare et in ea confirmare debeant.

1. Naturalis fraternitas, quam tenemus cum mortalibus omnibus, et quam inter se non habent angeli vel animalia. Cuncti enim ex uno patre Adam et matre Eva procreati, et idcirco inter nos fratres et sorores naturalis cognationis vinculo constricti sumus. Magis enim se diligunt, qui sunt ejusdem familiæ, consanguinitatis et patriæ.

2. Spiritualis fraternitas, quod non sumus solum homines, sed et christiani homines, habentes unum patrem in cœlis, Deum, et unam matrem in terris, veram Ecclesiam catholicam. In hac eamdem fidem profitemur, ex eodem baptismo renascimur, uno pane vitæ cibamur, iisdem utimur sacramentis, una spe donamur, eamdem hæreditatem expectamus, eamdem

patriam permanentem habemus. Secundum hanc fraternitatem amor non solum hic in fidelibus incipit, sed et in cœlo permanet, quia caritas non excidit : caritas, inquam, perfecta, sicut non est mortalibus, quia Beatos omnes clarius cognoscemus in universali et particulari, et ardentius diligemus, et diligendo magis, de illis eorumque meritis et præmiis, non secus ac de propriis, gaudebimus.

3. Ad caritatem proximi invitat et impellit naturalis benignitas Creatoris erga bonos et malos. *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est* (Luc. 6, 36). Gratis et ex puro amore prædestinavit suos electos et vult omnes salvos fieri. Amor ejus æternus, immensus, non interpolatus, et fidelis etiam erga mundum ingratum et futuros reprobos ac inimicos. Quid debuit facere et non fecit? tam nobiliter creando et conservando et redimendo homines, nec omittendo eos paterna fidelitate prosequi totque beneficiis fovere in animo et corpore, licet paucos inveniat gratos, obedientes et probos filios.

4. Caritas Christi erga Judæos, discipulos et mortales omnes. Amavit omnes immerentes, alienos, prius hostes. Quis pastor fidelior erga suas oves? Christus animam suam pro illis posuit. Quis magister tam sedulo instituit auditores suos? Quis amicus tanta signa veri amoris prodidit? *Hoc est mandatum meum, ut diligatis invicem, sicut et ego dilexi vos* (Joan. 15, 12). Dilexit autem vehementer, incessanter, perfecte, usque in finem. Quid magis proprium est amori, quam se

aliis communicare? Communicavit se bonis et malis, ut Judæ et hostibus capitalibus; communicat se ut infantem, ut socium, fratrem, servum, ut victimam, cibum, potum; communicat se quotidie in verbo, cum illud legitur vel auditur; in sacramento, cum accipitur; in proximo, cum in ipsius nomine minimum etiam suscipimus; in cruce pro ipso patienter tolerata; in oratione devote ad ipsum fusa; in obedientia propter ipsum cuique Superiori exhibita. Nonne hæc Christi liberalitas ad proximos juvandos quemvis merito impellit, ut gaudeat se Christo conformare in amore erga proximos?

5. Tanti facit Deus amorem proximi, ut non ægre ferat, se privari cultu et honore sibi debito, modo proximo ex caritate serviamus. Etenim dicit: *Misericordiam volo et non sacrificium* (Matth. 12, 7). Vult Christus, ut proximo te reconcilies potius, quam ut in templo sacrificium offeras. In ultimo judicio dicit, benedictos fore eos, qui caritatem et misericordiam exercuerunt; nec facit mentionem aliorum bonorum operum, ut jejunii, orationis et mortificationis; ex amore fraterno vult discerni suos amicos et discipulos a reliquis filiis sæculi et diaboli. *In hoc cognoscent omnes*, inquit, *quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem* (Joan. 13, 35). Irascitur servo contra caritatem peccanti in conservum ob immisericordiam, magisque punit illum, quam ob damna sibi facta. *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quia rogasti me: nonne ergo oportuit et te misereri con-*

servi tui (Matth. 18, 32, 33)? En Christus tam anxie orat in horto, et tamen relinquit orationem ob amorem discipulorum, ut illis succurrat; sic fecerat et Moyses relinquens contemplationem in monte, ut intercederet pro populo, quem peccasse cognoverat.

Quid movit Christum ad eligendos et mittendos in orbem Apostolos? ut caritatem exhiberent Judæis et gentibus, eos visitarent, docerent, converterent, gratis dantes, quod gratis accepissent.

6. Qui non diligit fratrem suum, manet in morte, homicida est, caret veste nuptiali, lucernam gerit sine oleo, traditur tortoribus, obliviscitur, se Societatis Jesu esse filium, et impedit se in amore Dei, separat se ab exemplis patrum, contradicit regulis, peccat in proximos magna illis damna afferens. Qui diligit, legem implet, vinculum habet perfectionis, in Deo manet et Deus in ipso, habet amicos, a quibus recipiatur in æterna tabernacula, Christus illum in judicio publice laudabit, imponet ei coronam justitiæ. *Quod uni ex minimis meis fratribus fecistis, mihi fecistis.*

II. Quæ nos impediant circa proximi caritatem.

1. Impedit regula neglecta. Regula 29. summarii jubet, ad conservandam melius caritatem, portas sensuum, præsertim oculorum, aurium et linguæ, ab omni inordinatione custodire ac se in pace et vera humilitate interna conservare, loqui cum circumspectione et ædificatione verborum, optare potiores partes aliis deferre, omnes in animo suo tanquam superiores ducere, ut se mutuo considerantes in devotione crescant, consi-

derare in proximo imaginem Dei, et in eo non mala, sed bona ejus considerare. *Dilectio proximi malum non operatur* (Rom. 13, 10). *Caritas non cogitat malum, omnia suffert, omnia sperat, omnia sustinet* (1 Cor. 13, 5. 7). Unde Augustinus dixit: *Tantum quisque portat, quantum amat.*

2. Impedit non orare pro fratribus spiritu amoris, impedit nostra indevotio in orando, ut Spiritus Sanctus ignem caritatis in nobis excitet et frigus expellat. Primus hic fructus spiritus et deinde pax, gaudium.

3. Impedit non corde percipere bona et mala proximorum, et idcirco neque gaudemus cum gaudentibus, nec flemus cum flentibus, quod tamen utrumque proprium est caritatis; quæ si regnaret in nobis, non possemus non gaudere, cum videmus vel audimus tam multa et tam magna de rebus gestis ab hominibus Societatis, præsertim in India, et de constantia catholicorum in Europa, et de favore principum ac studio in promovenda Societate. Rursus caritas nos merito excitaret ad condolendum tot hominibus in hæresi pereuntibus, sicut in Anglia, Scotia, Norvegia, Suecia, et in tota Europa, plena schismaticis et hæreticis, ut quarta pars non sit catholicorum. Sic et dolendum esset de tanta potentia et pertinacia hostium Ecclesiæ, de publicis etiam calamitatibus catholicorum propter defectum operariorum, propter ignorantiam populi et propter abusum sacramentorum, propter flagella famis, bellorum et pestis. Utinam essemus viva membra sibi

invicem compatientia et succurrentia, sicut membra vivi corporis facere solent ac debent.

4. Impedit etiam caritatem rarior exercitatio in rebus et operibus veræ caritatis, præsertim usitatis et probatis pro more Societatis. Talia sunt ex. gr : inservire pauperibus, libenter ægrotos, immo et vinctos invisere, rudes exhortari, sæculares ad confessionem et sacramenta excitare, morientibus assistere et, ubicumque fieri potest, animarum auxilium et consolationem procurare. Unde in 42. regula communium dicitur : *Omnes pro ratione sui gradus, data commoda occasione, enitantur piis colloquiis proximum ad meliora promovere et consilio et exhortatione ad bona opera, præsertim ad confessionem, excitare.*

5. Impedit, quod zelus animarum in nobis friget parumque notamus, quantum inde damnum patiamur; quod in principio non magis excitamus puram intentionem ad juvandum proximum propter Deum, sed ea, quæ facimus, ex consuetudine quadam instituimus, et denique, quod in multis rebus nos ipsos magis, quam proximum, quærimus et amamus.

22. De oratione.

Nulla major ars, quam ut christianus sciat et velit bene orare. Ad hoc pertinent multa: intellectus, memoria, cor, voluntas, lingua, fides, spes, caritas, sapientia, humilitas, devotio et plures aliæ virtutes.

Ad bene orandum debet quisque scire et cogitare, quem velit orare, propter quem finem, qua causa movente, quomodo speret obtinere, quod petit. Christus autem, qui est summa sapientia et optimus orandi magister, ad hæc quatuor respondet luculenter.

1. Proponit Patrem suum, verum et æternum Deum, qui nos amavit et amat, quem fideles omnes rogare et adorare debent.

2. Indicat etiam finem orandi, scilicet ut impleantur mentes nostræ gaudio, non externo, sed interno cum pace conscientiæ, quod nascitur ex obedientia.

3. Nec tacet causam orandi urgentem, dum præcipit orare omnibus sine discrimine et præcepto addit certam promissionem, imo et juramentum, ut nullus possit dubitare, suam orationem fore efficacem apud Deum.

4. Unde tanta virtus orationis? quia rogatur Pater, qui solus nullius est indigens et dives et sufficiens ad dandum omnibus, qui est Creator et Conservator omnium, in quo omnis sufficientia nostra. Et rogatur in nomine Filii, cui nihil potest negare et qui meruit non solum pro se, sed et pro suis membris, ut, quidquid in ipsius nomine a Patre petitur, hoc non possit negari, sed suum debeat plenum effectum obtinere. Sicut enim Christus est dilectus Filius, in quo plene Patri complacuit, et hic cum illo incarnato nobis donavit omnia, illumque nobis fecit ostium, pontem et viam ad cœlum et bona omnia cœlestia et æterna: sic etiam eumdem Christum nobis proposuit

Propitiatorem et Pontificem, per quem omnes preces omniaque vota credentium sibi offerantur et exaudiantur.

I. Quid ergo per orationem intelligendum?

II. Quæ præcipua inductiva ad orandum?

III. Quomodo orandum?

I. Oratio est ascensus mentis in Deum, decentium petitio a Deo, colloquium cum Deo. Per orationem intelligitur non solum oratio, quæ fit foris voce, lingua, sed et intus mente per desideria et gemitus cordis, non solum petitio decentium, sed et gratiarum actio et Dei laus. Hæc simul jungenda sunt et in Scriptura sæpe junguntur semperque occupare debent filios Dei. Hæc sacrificia spiritualia exigit Deus a quolibet fideli, postquam cognorit, quod accepit a Deo, et quam potens, sapiens et bonus ille sit. In his agnoscuntur veri filii novi Testamenti, nimirum in invocatione et confessione seu laude Dei; non enim satis est orare Patrem, sed et opus ei laudes nostras offerre, sicut et Angeli faciunt.

Triplex autem oratio discernitur et in Scriptura fundatur semperque est exercitata, scilicet privata, publica et ecclesiastica; privata seu singularis, quæ fit ab una persona, sicut a publicano in templo; publica vel communis, quæ fit a fidelibus simul conjunctis; et ecclesiastica, quæ semper in usu fuit in Ecclesia christiana catholica, et quam vocamus cultum Dei externum. Optime tunc se habuit Ecclesia, cum ferveret hic triplex usus orationis.

II. Quæ præcipue ad orandum jure nos moveant, hæc dicam ob multos non ponderantes pretium orationis et tam pigros et frigidos in hoc opere.

1. Homo ad hoc conditus, natus et renatus est, ut Creatorem et Redemptorem suum honoret, pro se et aliis laudet, illum invocet et omnia sua illi commendet per orationem; qua in parte sumus tam nobiles creati quam Angeli, quorum officium est proprium laudare et orare Deum suasque et nostras orationes offerre Deo. Ideo sumus creati tam fragiles et egentes, ut oratione recurramus ad Deum, fontem omnis boni.

2. Merito ad orandum excitat DIGNITAS ORATIONIS, quæ per se facit hominem legatum ascendentem in cœlum, intrantem ad thronum Dei et amicum cum Deo colloquentem, immo et sacerdotem offerentem pro se et aliis, quotiescumque vult, et ubicumque versatur, in templo, domi, in mensa, terra et mari, et conformat eum Angelis et Christo capiti.

3. FACILITAS ORATIONIS, quia natura ipsa et ratio omnes etiam infideles ad hoc movet, ut orent et orandum esse doceant, sicut Plato et poëtæ fatentur. Excusat se ægrotus a jejunio, pauper a danda eleemosyna, laicus a prædicando; sed nullus ab orando se excusare potest, licet oculis et lingua careat et in lecto solus sibi maneat. *Desiderium enim pauperum exaudivit Dominus et præparationem cordis eorum audivit auris tua* (Ps. 10, 17). *Quid oremus, sicut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus adjuvat infir-*

mitatem nostram et ipse postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus (Rom. 8, 26). Quomodo ergo christianus excusabitur in orando piger ac negligens, cum habeat multiplex præceptum Dei.

4. Exemplum Christi et Apostolorum et Sanctorum omnium, qui tam seduli in orando fuerunt et orantes sæpe viderunt Angelos, sicut Christus in monte Oliveti, Maria in cubiculo, Zacharias in templo, Daniel et centurio in domo. Unde et David dixit: *In medio Angelorum psallam tibi* (Ps. 137, 1). Christus orat noctu et interdiu, in deserto, in monte, operans miracula, ad mensam, in horto, in principio et fine passionis, in cruce et ante mortem; nec solum orat, sed et flectit genua, procidit in faciem. Nonne hoc solum exemplum sufficeret, ut Dominum et magistrum saltem in orando imitaremur? Quid fecerunt Apostoli? Erant semper in templo laudantes et benedicentes Deum.

5. Communis utilitas. Nulla medicina efficacior contra morbos spirituales. *Vigilate et orate* (Matth. 26, 41). Nulla scala melior, quæ ducat nos ad Deum ipsum: vere scala Jacob, per quam ascendunt et descendunt Angeli. Nullum incensum magis odoriferum coram Deo et Sanctis; nulla armatura commodior ad vincendos hostes, sicut ostendit Moyses, Samuel, Josaphat, immo ad vincendum Deum ipsum, qui se vinci et ligari ab orantibus patitur, ut dicat: *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos* (Exod. 32, 10). Nulla melior magistra, quæ sic

facile illuminet intellectum, magis quam omnis lectio et omne studium, sicut experti sunt Antonius, Augustinus, Bernardus, Thomas, immo Apostoli, divinitus edocti per orationem.

6. Incommoda neglectæ orationis. Quam miser et infelix, qui parum aut male orat! Is privat Deum tributo quotidiano, quod quilibet debet; furatur tempus homini concessum ad orandum, quia tota vita hominis est tempus orandi; facit sicut mendicus, qui fame perit, quia non vult mendicare. Si enim Deum rogare nolumus, nec ipse vult donare nobis præsertim ad perseverandum necessaria. Volumus esse et manere pauperes, miseri, egentes, quia sumus muti coram Deo et Angelis, et nescimus per orationem nos ad Deum erigere et orando oblata dona excipere et retinere.

7. Ecclesiæ ordinatio. Nonne sumus cæci, quod non videmus tot media nobis passim proposita, quæ sola nos ad orandum excitare debebant, si saperemus, etsi Scripturam nullam haberemus. Cur tot erecta templa et sacella, ut sint domus orationis? Cur tot monasteria, ut sedes essent orantium nocte ac die? Cur toties pulsantur campanæ, nisi ut moneamur ad orandum, sicut milites in castris tuba incitantur ad pugnandum? Cur quotidie ter nobis pulsatur, mane, meridie et vespere, nisi ut saltem ter elevemus mentem ad Deum et nos illi devotos præbeamus pro beneficio creationis, redemptionis, sanctificationis? Cur instituta tot festa, nisi ut fiant conventus ad domum orationis et liberiores et diligentiores simus in orando?

Cur ordinantur sacerdotes, nisi ut faciant nocte ac die orationem pro vivis et mortuis? Quomodo sacrosancta victima immolatur in missa nisi inter continuas orationes. Quomodo sancta sacramenta ministrantur et cærimoniæ adhibentur et benedictiones fiunt totusque cultus divinus exercetur et septem horæ canonicæ cantantur, nisi ut oratio commendetur? Nonne igitur dolendum tam parum nos curare, quid Deus jubeat, quid Ecclesia moneat, quid nostra et aliorum necessitas postulet hoc tempore miserrimo? Quid aliud, nisi nos ipsos impedimus et impediti esse volumus, hoc necessarium medium negligentes et Deum non invocantes?

III. Quomodo orandum?

1. Ut Christus monet in evangelio, Pater non cum timore, sed cum amore invocandus, quia Pater amat nos.

2. Cum fiducia, quam mandat ipse Christus et confirmat promissione et juramento.

3. Petendum, non carnale, sed spirituale gaudium, procedens ex pace conscientiæ et obedientia.

4. In nomine Christi.

Sumus, proh dolor! ut Apostoli tunc erant, cum Christus eos docebat orare, qui, licet multa de Christo crederent et confiterentur, quod sciret omnia et a Deo exiisset et venisset in mundum, tamen veram orandi artem nesciebant, neque didicerant Patrem adorare in spiritu et veritate, neque petere in nomine Jesu per Spiritum Sanctum, de quo Paulus: *Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto* (1. Cor. 12, 3);

et iterum: *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (Rom. 8, 26). Ubi autem non est hic Spiritus, nec est oratio. Ex parte Dei credimus quidem, quod velit rogari et exaudire rite precantes juxta præceptum et promissionem; et credimus, ex parte nostra opus esse fide, fiducia, constantia, prudentia, humilitate, pœnitentia; sed defectus omnis est in praxi, quam tarde incipimus, in qua cito impedimur, pro qua non pugnamus contra tentationes, non amovemus impedimenta, non servamus conscientiam puram, non probamus nos in caritate proximi. Inordinati sumus in oratione; nec ordinem, nec tempus, nec locum habemus; nescimus orare; non intelligimus, quod oramus; nullam attentionem et devotionem adhibemus; desides, frigidi sumus in orando; labiis tantum Deum honoramus, cor autem nostrum immersum est rebus terrenis; non præparamus nos ad orationem; non dirigimus eam ad certos fines, nec ullam meditationem adjungimus. Inexcusabilis est autem homo, si tam piger et inobediens maneat, ut nolit orare et rite orare. Peccat is in Deum Patrem, paratum audire quemlibet, immo et juvare invocantem. *Invoca me in die tribulationis et eruam te* (Ps. 49, 15). Deus Pater est fidelior omnibus parentibus, qui nec sciunt filiorum indigentiam, nec subveniunt illis ita libenter et liberaliter sicut hic Pater, a quo omne donum perfectum descendit (Jac. 1, 17). Dein peccat ille in Christum, nolens illius præcepto obedire, nec ædificare super fundamentum potentis promissionis, immo et jurisjurandi ab

illo facti, nec fidere illius meritis, quorum intuitu nostræ preces, immo et omnia benefacta nostra placent Deo et impetrant nobis spiritualia et æterna præmia.

Nonne ergo mirum, reperiri multos adeo pusillanimes et diffidentes, qui, non obstante tam dulci et gratiosa promissione Christi facta precantibus, nolunt capere consolationem, nec orant, vel desides sunt in petendo, non cogitantes illud Pauli: *Adeamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur et auxilium in tempore opportuno* (Hebr. 4, 16). *Per Christum enim accessum habemus ad Patrem* (Ephes. 2, 18). Ascendit ad Deum oratio spiritualis, quæ fit in abscondito, id est, in cordis intimis ad Patrem. *Hæc est fiducia, quam habemus ad Deum: quoniam, quidquid petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos* (1 Joan. 5, 14).

23. De oratione.

Oportet semper orare et non deficere (Luc. 18, 1).

Credentes inde ab orbe condito, justi et sancti omnes Deum non solum per fidem cognoverunt et fidem in eum professi sunt, sed etiam in suscepta fide eum invocarunt et suos orare semper docuerunt et factæ orationis plurimos maximosque fructus sibi et aliis reportarunt: testes Moyses, Samuel, David, Elias, Elisæus, Daniel cum sociis, prophetæ omnes usque ad Joannem, qui suos discipulos etiam orare docuit. Oravit et Christus sæpenumero et prolixe et cum

cærimoniis quibusdam additis. Orare docuit et ipse discipulos et orare oportere dixit: *Oportet semper orare et non deficere;* eos autem, qui Deum natura spiritum adorant, in spiritu et veritate, non labiis tantum hypocritarum more, orare jussit et multa promisit per orationem petentibus, quærentibus, pulsantibus et in nomine suo Patrem invocantibus. Dicam igitur de oratione, scilicet:

I. Quid nos in genere movere debeat ad orandum, et quid nos religiosos specialiter movere debeat ad orandum magis quam sæculares;

II. quomodo nobis orandum sit.

1. Quid est oratio? Est ascensio mentis in Deum; est hominis Deo adhærentis affectio et familiaris quædam ac pia allocutio; est conversio in Deum per pium et humilem affectum, fide, spe, caritate subnixa; est piorum votorum oblatio intensa et ardens; est petitio decentium a Deo; est rerum invisibilium inquisitio; est præclara mentis alimonia.

2. Quotuplex est oratio? Est oratio alia vocalis, alia mentalis, quæ et vocatur meditatio, alia affectualis: oratio mentalis et affectualis nobilior est oratione vocali, sed et vocaliter orare jubemur: *Pater noster* (Matth. 6, 9), et ipse Christus oravit vocaliter, ut Joan. 17—26. et Joan, 11, 41—43. et Matth. 11, 25—28.

Damascenus causam dicit, cur non solum mentaliter, sed et vocaliter debeamus orare, quia scilicet duplicem honorem debemus Deo ex duplici natura, qua constituimur, spirituali et corporali; deinde ad

excutiendum torporem et ad explicandum affectum, ut in psalmis.

Sed quid, inquis, opus orare? nonne scit Deus, quid opus sit nobis, antequam petamus eum? *Scit Pater vester*, inquit Christus, *quia his omnibus indigetis* (Matth. 6, 32).

Respondeo: Non ratione Dei omniscientis opus orare, sed ratione hominis orantis in protestationem suæ fragilitatis et inopiæ et insufficientiæ. Sic humiliando se excitat animum magis ad Deum et excitatione tali disponitur magis ad exauditionem; unde nostro profectui consulit Deus, qui vult rogari ea, quæ ipse disposuit dare. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit* (Eccli. 35, 21).

Sed apud Deum, inquis, *non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio* (Jac. 1, 17); cum ergo Deus immutabilem voluntatem non mutet, quid illum oramus, qui dat, quidquid ab æterno dare disposuit?

Respondeo: Oratio non impedit providentissimam Dei dispensationem, sed promovet ac implet, quia medium est ab ipsa Dei providentia præparatum, per quod Deus dona sua nobis velit communicare; unde oramus, ut providentiæ Dei legem impleamus. Sic sanctus Jacobus dicit: *Orate pro invicem ut salvemini* (Jac. 5, 16); quasi dicat: sine hoc medio homines non salvantur. Unde in electis duo consideranda: primo quod eliguntur ab initio et prædestinantur ad vitam æternam *(Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu*

ejus in caritate; qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum, secundum propositum voluntatis suæ, Eph. 1, 4. 5); deinde, quod ad hoc ipsum præordinantur et constituuntur media usque ad vitæ finem, ut fides, pœnitentia, oratio, sacramenta, bona opera; unde Petrus: *Quapropter, fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vocationem vestram et electionem faciatis* (2 Petr. 1, 10).

4. Quid ergo nos ad orandum movere debet?

Inductiva ad orandum sunt: necessitas, dignitas et efficacia orationis.

Orare necessarium.

Orandum esse ipsi ethnici agnoverunt. Sic Plato primo libro in Timæo docet, in omnibus agendis divinam opem implorandam.

Sed necessarium orare ob Christi præceptum: *Oportet semper orare et non deficere* (Matth. 18, 1), et præcepto adjungit firmam et magnam promissionem: *Amen, amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* (Joan. 16, 23).

Necessarium orare ob Dei ordinationem, qui statim a fide requirit, hoc tributum sibi persolvi tam a justificationem conservante quam ab amittente illam: tributum, inquam, sine quo nullus, secundum Augustinum, salvatur, a quo nullus per quævis dona liberatur, quia semper ab omnibus exigit Deus et usque ad mundi finem exiget invocationem. Unde fidei exercitium vel primum est oratio, sine qua fides non conservatur,

nec manere potest cum aliis etiam donis, quæ vitam, robur et incrementum ab oratione mutuantur.

Necessarium orare ob exemplum Christi orantis noctu et interdiu. *Erat pernoctans in oratione Dei* (Luc. 6, 12. et Joan. 11, 41—43. et 17, 1—26). *Et facta est, dum oraret, species vultus ejus altera* (Luc. 9, 29).

Necessarium orare ob exemplum Apostolorum unanimiter in oratione perseverantium (Act. 1, 14.) et Ecclesiæ primitivæ (Act. 2, 42).

Necessarium orare ob praxim Ecclesiæ, quæ in cultu Dei, in cærimoniis cultus, in dispensatione sacramentorum etc. ordinavit orationem et fideles ad orationem frequentem excitat; templa extruit et consecrat, ut sint domus orationis, in quæ conveniant fideles ad orandum; festa instituit, ut fideles vacent orationi; certa tempora præscribit orationi destinata et certos dies jejuniorum instituit, ut fideles expeditiores sint ad orandum, et eorum oratio sit efficacior.

Dein necessaria nobis oratio ob indigentiam nostram et necessitates nostras multiplices; sumus enim miseri, fragiles, ægroti et mendici; debemus ergo rogare Deum patrem nostrum, ut nobis succurrat, nos confortet, nos sanet, nos alat.

Dignitas orationis.

Est dignissimum orare. Oratio est enim Deo accepta, placita, odorifera, sicut sacrificium suavissimi odoris. Homo scilicet templum habet animam, in templo cor seu voluntatem, et quasi sacerdos offert Deo sacrificium, thymiama, thus orationis, adhibitis carbonibus

seu fervore caritatis. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo : elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum* (Ps. 140, 2). *Grande miraculum*, ait Augustinus, ut *homo, terra et cinis, in oratione cum Deo fabuletur. Considera*, inquit Chrysostomus, *quanta tibi concessa sit felicitas, quanta gloria attributa, orationibus fabulari cum Deo, cum Christo miscere colloquia*. Quid oratione præclarius, quid animæ dulcius, quid in religione nostra sublimius?

Efficacia orationis. *Omnia, quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis* (Matth. 21, 22). Omnia ergo potest obtinere oratio, modo quis oret humiliter, perseveranter et cum fiducia, et modo petat, quod ejus saluti congruat. Oratio, immo oratiuncula, gemitus, suspirium minimum ad Deum emissum grandi non carebit effectu; sed multis deest fiducia in orando grandis et amorosa, quam de se suaque bonitate concipi gaudet Deus, de quo dicitur : *Miserator et misericors, patiens et multæ misericordiæ* (Ps. 84, 15,) qui est paratior ad dandum, quam homo ad petendum.

Oratio est scutum contra dæmones et tentationes; hinc Christus : *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem* (Matth. 26, 41), quasi dicat, qui orare nescit, in tentationes incidit. Figuram habes in Amalecitis, orante Moyse, devictis (Exod. 17, 11). Unde Origenes : *Plus valet unus homo orando, quam innumeri homines præliando.*

Oratio liberat ab omnibus adversis et tribulationibus. Sic oratio fidelium primitivæ Ecclesiæ liberavit Petrum

e carcere (Act. 12, 5—13). Unde s. Augustinus: *Quoties persecutiones irrogantur Ecclesiæ, Sanctorum orationibus aut amoventur, aut temperantur.*

Oratio superat creaturas. Nonne, orante Josue, *stetit sol in medio cœli et non festinavit occumbere spatio unius diei ... obediente Domino voci hominis* (Jos. 10, 13. 14)? Superat ergo quasi ipsum Deum.

Hæc quidem omnes ad orandum excitare debent, sed nobis religiosis magis orandum est quam sæcularibus. Ratione enim status perfectionis, quem profitemur, obligamur ad servanda consilia evangelica ac proin ad majorem justitiam quam sæculares, et egemus majore gratia. Status noster annexas habet majores et subtiliores tentationes, ob invidiam satanæ, unde magis nobis vigilandum et orandum. Habemus majorem opportunitatem et plura media orandi ratione status, loci, temporis. Debemus conformiores esse Christo, qui sæpe oravit et mane et vespere, de die et nocte, in monte, deserto, ante baptismum, prædicationem, passionem, mortem. Non possumus ut divites dare eleemosynam pauperibus, quia nihil proprium habemus; hinc orationibus nobis exhibenda misericordia proximo. Obligamur ex gratitudine orare pro benefactoribus. Debemus majori caritate abundare et ita magis compati et succurrere necessitatibus Ecclesiæ et proximorum. Navis enim Ecclesiæ hoc tempore asperis ventis et tempestatibus concutitur et fere submergitur, ut merito dicamus: *Domine, salva nos, perimus.* (Matth. 8, 25). *Mundus totus in maligno positus est* (1 Joan. 5, 19).

Nunquam fuit major populi propensio ad sectas, ad contemptum cleri et ad omnem libertatem; fastidiunt manna, sicut Judæi, insipidus est illis panis veræ doctrinæ et suavis panis mendacii; *omnes* enim quasi *declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est timor Dei ante oculos eorum* (Ps. 13, 3). Orandum pro corruptissimo populo hujus sæculi; orandum et pro conversione hæreticorum, per nostros facienda secundum primam Patris Ignatii intentionem, ne tot millia hominum pereant extra Ecclesiæ arcam; orandum, ut orationibus placemus iram Dei et flagella ejus depellamus.

II. Quomodo orandum nobis?

Orandum cum fide, spe et caritate et affectu bene et sancte vivendi et bonis operibus et virtutibus solidis vitam ornandi. Oratio enim primum et præcipuum fidei opus est et exercitium; fidem namque in Deum statim sequitur invocatio, quæ non potest adhiberi, nisi movente fide prius. Ceterum idem Spiritus, qui rectam fidem largitur, suggerit etiam nobis per fidem, quid loquamur et oremus; et ut Apostolus ait, *ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (Rom. 8, 26); quandoquidem, quum interpellare nos facit, interpellandi gemendique nobis inspirat affectum ac adjuvat infirmitatem nostram (Rom. 8, 26); in quo (Spiritu) clamamus: *Abba Pater* (Rom. 8, 15). Hoc igitur adjuvante Spiritu, qui nos in omne bonum reddit propensos, accedimus ad orandum; accedimus in fide, spe et caritate: fide, credendo, Deum natura

bonum et largitorem bonorum, et omnia bona ab eo petenda; spe, sperando firmiter illa bona a Deo; precaturus enim Deum ab omni diffidentia liber sit oportet, nec dubitare debet aut hæsitare de promissis Dei, alioquin frustra est petiturus; ac propterea divus Jacobus postulantem a Deo jubet in fide postulare, ne quidquam hæsitet. *Postulet autem in fide nihil hæsitans* (Jac. 1, 6). Ergo simplicem et nusquam vacillantem fiduciam nostram erga Deum esse oportet. Sed licet spes orantis debeat esse certa et indubitata, patiens tamen quoque sit et timori Dei innitens oportet, cum alioquin non dicenda sit spes aut fiducia, sed arrogans præsumptio. Sed certi esse debemus, nos aut id, quod speramus, aut aliquid melius, quod scilicet magis proderit nobis, esse consecuturos; propterea jubemur semper orare et non deficere, sed per patientiam expectare misericordiam Dei. In caritate demum accedimus. Ut enim oratio cœlos penetret, ardore geminæ caritatis, non solum Dei, sed et proximi, est inflammanda; et quamvis soli misericordiæ Dei gratiæque ejus debeat inniti, fiduciam tamen nostram ornet affectus bene vivendi et bona opera subsequantur oportet. Hoc enim vult Apostolus, cum jubet viros orare in omni loco, levantes puras manus (1. Timoth. 2, 8). Hinc et Joannes: *Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, et quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata ejus custodimus, et ea, quæ sunt placita coram eo,*

facimus (1. Joan. 3, 21). Nam hic est verus ac rectus orandi modus; alioquin, si neque per fidem accedamus, neque per spem erigamur, neque per caritatem accendamur, loqui quidem possumus, perfecte orare vero nequaquam. Est enim oratio pius mentis ascensus in Deum, seu piorum votorum oblatio intensa et ardens; quamobrem ea mens in Deum elevari non poterit Dominoque pia vota non offeret, nisi fuerit inprimis fide fundata, dein erecta spe et tum incensa caritate. Imprimis in oraturo oportet esse fidem firmam, secus orans ad deprecandum Deum nihil valet, quia neque recte sperabit in eum, cui non credit, nec illi se suaque committet; item non sincere diliget illum, cui fides non adhibetur, et in quo non speratur. Quod si necesse est in omni opere perfecto tria hæc concurrere, cum finis præcepti sit caritas de corde puro, conscientia bona et fide non ficta (1 Timoth. 1, 5): multo magis convenit et prorsus oportet, eadem ista præcedere perfectam orationem, quæ proprium opus est, quo proxime agimus cum Deo. Ceterum orationis vis tota in affectu cordis consistit; Deus enim, qui spiritus est, non carnem in homine respicit, sed spiritum et mentem, desiderans coli a nobis in sinceritate cordis, quemadmodum per coæternam sibi Sapientiam nobis inclamat: *Præbe, fili mi, cor tuum mihi* (Prov. 23, 26). Ut autem in oratione attentiores redderet Christus, duos admodum affectus pari censura damnavit, scilicet hypocrisim Judæorum, non alium

fructum orationis quærentium, quam ut placerent hominibus, et superstitionem ethnicorum orantium potius exercendæ linguæ quam mundandi animi gratia, et putantium, agi rem cum Deo, perinde ac cum homine, qui sæpe multis tandem verbis adducitur in sententiam, licet iniquam. Non verba orantis valent apud Deum, sed valet affectus orantis; hinc Christus: *Orantes autem, nolite multum loqui sicut ethnici. Putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur* (Matth. 6, 7). Per multiloquium enim Christus vult nempe intelligi sermonem vanum, absque devotione profusum, vanum sine mente sonum. Nam non prohibet Dominus preces prolixas et diuturnas ex intimo affectu pieque depromptas; nam ipse pernoctavit in oratione: *Erat pernoctans in oratione Dei* (Luc, 6, 12); et factus in agonia, prolixius orabat (Luc. 22, 43): ut scilicet nobis imitandum in hoc exemplum daret. Plane sibi constat, ut et non debeamus orando multum loqui, et tamen debeamus sine intermissione orare. Sine intermissione siquidem et multum orare nos convenit, non autem multum loqui, quod loquacitatis est, non adhibita mente: nimirum in sola multorum verborum prolatione confidere, quod ob id exaudiamur. Breviter: absit ab oratione multa locutio, desint verba superflua, sed non desit multa precatio. Certi simus, nos ad gratiam Dei accipiendam tanto capaciores futuros, quanto Dei misericordiam fidelius credimus, speramus firmius, desideramus ardentius.

24. De laude Dei.

Monitus hodie aliquid tractare ad ædificationem, proposui mihi dicere de laude et benedictione Dei. Hæc una est ex præcipuis rebus, quæ in Societate nobis proponi et idcirco maxime ponderari debent. Quod est primum punctum in examine generali et quotidiano? nempe Domino nostro Deo pro beneficiis acceptis gratias agere. Quod est principium seu fundamentum exercitiorum? nempe creatus est homo ad hunc finem, ut Dominum Deum suum laudet ac revereatur. Quæ est oratio præparatoria meditationibus omnibus adhibenda? ut vires et operationes nostræ omnes ad Dei gloriam referantur. Ex quibus constat cuique, Societatem nostram sic institutam esse, ut ante omnia debeamus nobis proponere Dei laudem, sive examinanda sit conscientia, sive orationi mentali vacandum; ad hunc laudis Dei scopum referri debere, quæ cupimus, desideramus, quærimus, omniaque media, quibus utimur in hac vocatione; nullam orationem recte inchoari aut meditationem, nisi cum speciali desiderio divinæ laudis promovendæ. Quod cum ita sit, dicam:

I. Quid per laudem Dei sit intelligendum;

II. Qui laudare dicantur;

III. Quomodo illa quotidie nobis promovenda.

Cum de cognitione et laude Dei dicitur, dupliciter id accipi potest. Aliud est dicere, quod seipsum laudet Deus, et quod a creaturis suis laudetur. Nullus potest Deum sic laudare, sicut ipse seipsum laudat, quia

nullus ipsum ita videt et cognoscit, sicut ipse. Unde scriptum est: *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius* (Matth. 11, 27). Hoc modo nec Angeli, nec homines Deum norunt aut laudant, seque humiliant Sancti omnes, procidunt ante thronum et adorant laudantes: *Sanctus, sanctus, sanctus* (Apoc. 4, 8). Laudem Dei hic dicimus, quatenus competit creaturis habentibus liberum arbitrium et usum rationis et capacibus beatitudinis eamque tenentibus puritatem, ut ex fide et caritate procedant.

Unde 1. sequitur, quod proprie non laudant Deum elementa: aër, aqua, terra, ignis, et in his contenta aliaque irrationabilia, quia non libere, sed necessario moventur. In illis relucent tamen potentia, sapientia, bonitas creatoris: *Invisibilia enim ipsius Dei a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* (Rom. 1, 20). Non autem proprie colunt Deum, quem colendum ostendunt, sed sine usu rationis et proposito certo.

2. Sequitur, non perfecte laudari Deum ab ethnicis, hæreticis, infidelibus, excommunicatis, criminosis et aliis fidei et caritatis expertibus. *Non enim speciosa laus in ore peccatoris* (Eccli. 15, 9); non honorant, sed blasphemant hypocritæ. Unde qui laudare Deum debent et volunt, segregati esse debent ab inferni carcere, ubi perpetuo Deum blasphemant; segregati a synagoga satanæ super terram, quia in sola Ecclesia Sanctorum cœlesti vel militanti Deus laudari gaudet (unde Ps. 147, 1: *Lauda Hierusalem Dominum, lauda*

Deum tuum Sion), ut dicere possint: *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum* (Ps. 132, 1); segregati a discordibus in fide, quia debent manere in uno ovili et sub uno pastore, ut multitudinis sit cor unum et anima una, omnesque solliciti servare unitatem fidei in vinculo pacis.

3. Denique sequitur, quantum sit donum eligi, ut simus cives Sion, de qua dicitur: *Beati, qui habitant in domo tua, Domine* (Ps. 83, 5)! Hos toties vocat Spiritus Sanctus ad laudem Dei in psalmis. Laudare Deum præcipue possunt magis exercitati in cultu interiore et exteriore. Tanto autem habiliores ad laudem Dei sunt, qui magis humiliant intellectum in mysteriis fidei eumque captivant in obsequium Christi, adhærentes veritatibus a Deo revelatis Ecclesiæ (Ps. 112, 1: *Laudate pueri Dominum);* qui magis sperant, se assecuturos, quod promisit Deus, qui falli non possit, nec fallere; qui et suum affectum excitant magis in amorem æterni Dei magisque dolent de tali Patre offenso, qui super omnia esset amandus et honorandus. Et cum homo constet non solum anima, sed et corpore et utrinque laudare debeat auctorem in terra et postea in cœlo, vult Deus, ut hic exterius etiam incipiat homo in Dei laude se exercere. Id vero fit verbo, cum fidem suam et symbolum et doctrinam Ecclesiæ coram amicis et hostibus confitetur: *Ore enim confessio fit ad salutem* (Rom. 10, 10). Id fit opere, cum accedit ad templum; adjungit se Ecclesiæ in templo precanti vel cantanti publice: *Cantate Domino canticum novum,*

laus ejus in Ecclesia Sanctorum (Ps. 149, 1). *Sic luceat lux vestra coram hominibus* (Matth. 5, 16), nempe per cærimonias approbatas multoque magis per sacramenta, quæ ornantur ritibus. Sic flectuntur genua, eriguntur manus, tunduntur pectora, offertur ad altare, accenduntur cerei, pulsantur campanæ, confitemur peccata, celebrantur festa. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo* (Ps. 33, 2).

Nota, diversam esse rationem laudandi Deum in cœlis et in Ecclesia nostra. Illic non indigent fide, quia Dei visionem claram habent; laudant ergo Sancti Deum sine fide et sine spe, quia non habent expectationem futuræ beatitudinis, sed præsentem eam possident; laudant cum perfecta caritate, quæ numquam excidit, et non impeditur ulla tentatione. Circa cultum exteriorem nunc viatoribus congruentem non egent studio mortificandi veteris hominis, quem omnino deposuerunt; nec operibus misericordiæ præstandæ, quia nullos offendunt egenos et miseros, quibus benefaciant; nec præceptis ullis, quia perfecta caritas; nec opus cærimoniis, sacramentis, quia nulla ibi carnis fragilitas; non opus medicina morborum; non schola ibi discendi, ubi omnes sani, docti, perfecti, sapientes. Quid opus luce, ubi nullæ tenebræ? ibi sanitas sine morbo, dies sine nocte, vita sine morte, gaudium sine tristitia, pax sine bello.

Quod ad hanc vitam attinet, vult Deus laudari certo modo interiore, sed diverso exteriore. Nam in lege naturæ, Moysis et Evangelii semper necessarium fuit

credere, sperare, diligere, non facere contra conscientiam, mortificare veterem hominem, exercere opera misericordiæ proximi, et ita Deus honorari voluit. Non autem coli voluit iisdem cærimoniis, sacramentis et sacrificiis. Hinc alia Judæi, quam ante legem patres, observarunt, jussique sunt aliter laudare Deum quotidie in templo, aliter in paschate, aliter in pentecoste etc. Circa laudem Deus semper peculiares quosdam deputavit ministros, præsertim sacerdotes, qui fuere primogeniti in lege naturæ, patriarchæ, et prophetæ, sacerdotes et levitæ sub Moysis lege, quibus revelavit Deus cultum et cærimonias proprias et quomodo tabernaculo inservirent. In Novo Testamento instituit Apostolos, Episcopos, sacerdotes, diaconos, subdiaconos, clericos et religiosos variorum ordinum, qui divino cultui peculiariter sint deputati et ad laudes divinas cantandas quotidie obligati in choro et extra chorum, illisque tribuit librum psalmorum ut librum laudum, et a sacerdotibus vult sacrificium laudis Eucharistiæ offerri. Ab his requirit Deus majorem affectum laudis et idcirco caritatis, zelum animarum, mortificationem veteris hominis, spiritum compunctionis vel lacrymandi ex amore et oblationem sui.

25. De tribus votis in genere.

Quid sunt nostra vota?

1. Sunt media nobis maxime necessaria ad assequendum finem vocationis nostræ, qui est desiderare

et quærere diligentia magna nostram et aliorum salutem et perfectionem.

2. Sunt arma contra hostes tres, qui nos in via maxime conantur impedire, ne ad perfectionem caritatis accedamus, quæ nos Deo unit. Hostes isti sunt amor et cura bonorum temporalium, caro et propria voluntas seu spiritus superbiæ; per paupertatis votum pugnamus contra primum hostem, concupiscentiam oculorum, per votum castitatis contra carnem, per votum obedientiæ contra superbiam et spiritum superbiæ dæmonem.

3. Per hæc tria vota offerimus Deo plenum et optimum sacrificium de rebus exterioribus, de corpore et de anima; sunt tria munera quæ offerimus Christo pauperi, casto et obedienti, ut sequamur exemplum Magorum in Bethlehem Christo parvulo offerentium aurum, thus et myrrham cum magna devotione. Hæc sunt munera regalia, Christo grata, quæ offerentes faciunt reges, victores, sacerdotes, philosophos et liberos a potestate Herodis, conformes Christo, et eos perficiunt in caritate.

4. Hæc vota pulchre nobis designantur per tres clavos crucis, quia voventes conformant se Christo crucifixo. Religiosus quilibet per tria vota quasi tribus clavis cum Christo affixus est cruci, et sicut Christus non curavit voces pharisæorum ei insultantium et dicentium: *Si filius Dei es, descende de cruce* (Matth. 27, 40), et *si rex Israel est, descendat nunc de cruce et credimus ei* (Matth. 27, 42): ita religiosus

non debet curare tentationes urgentes, ut se separet a cruce, sed in eadem debet cum Christo perseverare ad mortem usque.

26. De paupertate.

Proxima exhortatio nobis ostendit, quare Societas nostra instituta, quid sibi velint constitutiones et regulæ, et quorsum referenda omnia, quæ ad nostrum pertinent institutum, nempe ut qui volunt in nostra Societate vivere et mori, singularem impendant diligentiam saluti et perfectioni animarum suarum et proximorum suorum promovendæ. Ad hunc finem semper intenti esse debent et propter illum ordinata reliqua tanquam media, præsertim vero paupertas, castitas et obedientia, nec ullus idcirco debet quiescere, sed semper progredi in hac vocatione, credens, se nunquam ad finem prædictum pervenisse, sed longam adhuc viam sibi superesse, sicut Angelus dixit ad Eliam dormientem: *Surge, comede, grandis enim tibi restat via* (3 Reg. 19, 7). Ad hoc multum juvabit, ut quisque nostrum sæpe cum Bernardo dicat: Bernarde, ad quid venisti et quousque pervenisti? Juvabit in dubiis seipsum examinare: prodestne hoc an obest ad finem tuæ vocationis, id est, ad tui vel proximi perfectionem? et solum amplecti, quæ fini nostro sunt consentanea. Juvabit Dei gratiam quotidie petere, ut melius cognoscamus et accipiamus media fini nostro congruentia, et contraria fortius fugiamus.

Quæ causa communis negligentiæ? nonne quia obliviscimur, qui finis sit nostræ vocationis, et, si cogitamus, non dirigimus ad illum omnia, quæ facimus?

I. Quid est paupertas religiosa?

Est spontanee relinquere vel alienare propter cultum Dei temporalia, quæ quis possidet vel possidere potest, et contentum esse necessariis. Fuerunt et pauperes philosophi, ut Socrates, Antisthenes, sua omnia relinquentes, sed non propter cultum Dei, sed potius ob studium vanitatis et respectum mundi; et mendici sunt pauperes, non tamen spiritu et voluntate, sed necessitate quadam coacti. Nihil autem homini est meritorium nisi voluntarium et ex bona intentione factum. Unde Christus inquit: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia*, tam possessa quam sperata relinquendo et nihil retinendo. Multi divitias relinquunt, sed Dominum non sequuntur, neque proponunt sibi evangelicam promissionem pauperibus factam. Vera igitur paupertas est voluntaria possessorum et possidendorum dimissio propter Dei dilectionem et Christi imitationem. Hæc paupertas est essentialis statui religioso, per quam abdicatur proprietas, ita ut nec Pontifex posset ab ea dispensare. Hanc paupertatem nullus docuit in veteri Testamento, sed Christus invenit et non solum verbo, sed et exemplo confirmavit. Cum enim esset dives, egenus factus est, non habens, ubi caput reclinaret: non quod egeret hoc medio, sicut nos egemus ad caritatis perfectionem assequendam, cum ipse sit caritas; sed tanquam medicus se voluit infirmis accom-

modare, qui aliquando gustat cibum infirmi, licet eo non indigeat, ad excitandum ejus appetitum.

II. Quomodo paupertas juvat ad caritatis perfectionem?

1. Quia tollit amorem proprium et naturalem hominis circa bona externa, quæ occupant memoriam, intellectum et voluntatem, pariunt sollicitudinem, impediunt animum volentem Deum et divina curare. Unde dixit Christus, difficile esse divitem salvari. *Vendite, quæ possidetis, et date eleemosynam* (Luc. 12, 33). Quo magis ergo præciditur radix cupiditatis, eo magis in homine plantatur et augetur Dei caritas. Unde et Paulus dixit: *Nullus militans Deo implicat se negotiis sæcularibus* (2 Tim. 2, 4).

2. Hæc paupertas facit veros cives cœli, qui nihil in terris proprii volunt possidere et idcirco dicere possunt: *Conversatio nostra in cœlis est* (Phil. 3, 20). Hi veri sunt peregrini, thesaurum in cœlis habentes. *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi et cor tuum erit* (Matth. 6, 21).

3. Hoc primum exercitium Apostolorum et testimonium non solum veræ fidei, sed et veræ misericordiæ et humilitatis, devictæ avaritiæ ac mundi contempti, qui nihil magis quam opes quærit et amat.

4. Hæc prima virtus, quam Christus in mundum veniens ostendit, volens in summa nasci paupertate, et idcirco poni in præsepio, quia locus ei non erat in diversorio. Cum hac virtute Christus mundum intravit et exivit, ut eam nobis magis commendaret et ornaret.

5. Hæc mater est multorum bonorum, tollens tot seminaria dissensionum, invidiæ, iræ, superbiæ, et plantans in homine multas virtutes, immo faciens hominem Dominum mundi, fratrem et imitatorem Christi, socium Apostolorum, cui et Deus ipse obligetur. Hæc tot opes peperit Ecclesiæ, sicut videmus in episcopatibus et collegiis. Item confert hæc paupertas ad salutem proximi magis et melius promovendam, cum homo potest expedite cum Apostolis peregrinari et prædicare ac laborare pro salute animarum, quia liber est a retibus et vinculis, nec habet occasionem, quæ sua sunt, quærendi et augendi. Unde magis etiam illi fidit proximus, cogitans: iste non quærit sua, sed me. Unde Paulus dixit: *Non enim quæro, quæ vestra sunt, sed vos* (2 Cor. 12, 14).

III. De usu et praxi paupertatis.

Multum est se privare propriis bonis et ita se pauperem facere propter Deum, ut non possit quis spem habere ad bona sua vel aliena obtinenda, sed ut sit quasi mortuus civiliter et incapax omnis hæreditatis, præsertim si esset dives vel princeps natus. Sed ut hæc paupertas meritum nobis adferat, requirit usum et praxim, ut non solum nomen et umbram habeamus. Non enim est laudabile pauperem esse, sed in paupertate paupertatem amare et paupertatis inopiam gaudenter et hilariter propter Deum sustinere. Nam licet paupertas admittat simplicem usum necessariorum, tamen non potest bene cognosci, ubi vera sit necessitas, quæ facile mutatur in superfluitatem; unde

melius est egestatem ferre, quam periculo superflui se exponere. Hinc et Christus monet suos (Matth. 10, 9. 10), ne aurum, argentum, pecuniam et peram portent; sicut et primi christiani nihil proprium retinere voluerunt. Figura in Elia est, qui non potuit sursum ascendere cum pallio. Igitur ut recte probemus nostram paupertatem, bonum est nos privari rebus non necessariis et vivere in communi, non admittentes propria; ut etiam non habeamus, quod sit commune, sicut faciunt professi, qui non possunt consentire, ut aliquis se obliget ad eleemosynam perpetuam Societati dandam, debent esse parati ad mendicandum, non esse solliciti de viatico, licet a Pontifice missi, contenti esse debent victu quotidiano et ita nudi nudum Christum sequi. Hic nota de vitio proprietatis, quæ pestis et hostis est veræ paupertatis et ab Augustino furtum, a Chrysostomo sacrilegium dicitur, quando scilicet religiosus paupertatis voto obstrictus rebus communibus tanquam propriis audet uti vel eas retinere vel expendere pro sua voluntate sine licentia Superiorum. Unde S. Benedictus prohibet dare vel accipere quidquam sine jussione abbatis, vel aliquid habere proprii, quia nec corpora nec voluntates licet habere in propria potestate. Hæc proprietas, mater et radix multorum malorum, ut detractionis, murmurationis, iræ, discordiæ, intemperantiæ. Nota exemplum Josue 7, 4. seqq., ubi propter peccatum proprietatis Achan populus punitur. Nec excusat consuetudo inveterata contraria.

O quanta beatitudo, scribit Hieronymus ad Ædiliam, *pro parvis magna recipere, pro brevibus æterna, pro morituris semper viventia et habere Dominum debitorem.* Idem ad Pammachium: *Et Crates et Antisthenes et Socrates pecuniam projecerunt, sed nullus eorum potuit dicere: Pars mea Dominus.* Paupertas caput omnium virtutum, teste Theophylacto, tumulus non modo pecuniæ, sed propriæ voluntatis. Pauper est, qui nihil sibi retinet, nec propriam quidem voluntatem, inquit Bernardus. Qui contempserit sæcularia, ipse merebitur sempiterna, nec potest quisquam meritum regni cœlestis adipisci, qui mundi cupiditate pressus emergendi non habet facultatem (S. Ambrosius).

Primi christiani ex Apostolorum prædicatione gaudebant nihil habere de mundo et omnia possidere cum Christo. Hæc voluntaria paupertas martyrii genus est, unde pauperibus et martyribus regnum cœlorum promittitur. Hanc foverunt Apostoli. Perfectiores Hierosolimitani fuerunt, quam gentiles ab Apostolo Paulo conversi. Bonum quidem de sua substantia Christo et discipulis ejus necessaria administrare, sed melius omnem suam substantiam dimittere, ut expeditior possis Dominum sequi. Satius est inopia laborare et cum Christo esse religiosum, quam a fratrum societate disjunctum in rerum affluentia versari.

27. De castitate.

Tractatum est de paupertate, per quam homo mundum et externa mundi bona relinquit, ut contentus

Dei providentia sine sollicitudine vivat et ita expedite Christum pauperem sequatur. Nunc de castitate et virginitate dicemus, quæ non minus quam paupertas religiosis convenit, et necessaria est et multa sibi cum paupertate habet communia : scilicet quod ex voto est observanda, non ad tempus, sed perpetuo ; quod obligat æque post promissionem sicut Dei præceptum ; quod utraque virtus liberat a multis curis et periculis ; quod utraque virtus, in veteri lege incognita, post Christi adventum introducta et laudabilis atque familiaris facta Christi fidelibus ; quod utraque magnas habet annexas tentationes et oppugnationes dæmonis ; quod, sicut vovens paupertatem vovet etiam simul media ad eam servandam, ut non habeat proprium et careat cura crastini et superfluis, sic etiam vovens castitatem tenetur ad vitandum incontinentiam et occasiones et ad adhibenda media.

I. Ubi fundatur hæc castitas religiosorum?

In eunuchis illis, qui seipsos castrant propter regnum cœlorum, ubi Christus proponit præmia et invitat ad cursum et in potestate fidelium ponit, ut in carne sine carne vivant, id est, sine pollutione carnalis concupiscentiæ. *Qui potest capere*, inquit, *capiat* (Matth. 19, 12). Fundatur in illis verbis : *Sint lumbi vestri præcincti*, sicut Joannes Baptista et Elias suos lumbos præcinxerunt, volentes caste et pure Deo servire, non solum corporis, sed et animæ servare puritatem et sic angelicam imitari vitam. Fundatur in verbis Pauli dicentis : *Volo vos sine sollicitudine esse. Qui sine*

uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est (1. Cor. 7, 32). Quis autem non videt, majoris esse meriti quærere, quæ sunt Domini et placere Deo, quam quæ mundi, et placere uxori.

Fundatur in exemplis Christi Domini, Mariæ, Joannis utriusque, Joseph, Pauli et plurimorum Sanctorum hanc virtutem diligentium et pro thesauro magno retinentium, usque ad mortem servantium, et præsertim multarum virginum pro virginitate certantium, ut essent sponsæ Christi immaculatæ. Fundatur in doctrina Ecclesiæ tradentis, statum virginalem esse excellentissimum inter omnes status et ab omnibus honorandum magis, quam Romani virgines Vestales honorarunt magnisque privilegiis decorarunt. Talis status repræsentat nobis statum electorum post resurrectionem, quando neque nubent, neque nubentur, sed omnes erunt sicut Angeli Dei. Fundatur in fide, quod promittere et servare castitatem sit donum Dei nulli negatum, sed concessum omnibus volentibus et rogantibus, quod præterea non solum sit possibile, sed etiam facile et jucundum piis collaborantibus. Unde et suadet continentiam Paulus et consulit Christus, et alioquin Scriptura non diceret: *Vovete et reddite vota vestra* (Ps. 75, 12). *Omnia possibilia sunt credenti* (Marc. 9, 22). *Omnia possum in eo, qui me confortat* (Phil. 4, 13). *Spiritus est, qui adjuvat infirmitatem nostram* (Rom. 8, 26). Et Augustinus:

Levis erit sarcina continentiæ, si Christi erit; Christi autem erit, si fides aderit, quæ impetrat a jubente, quod jusserit.

II. Excellentia virginitatis.

Hæc virtus est propria evangelicæ legis, facit homines angelos, et futuram vitam repræsentat, præcipuam continet victoriam sui et libidinis, hostis ejus maximi, magnam habet promissionem in Evangelio. Virgines proximæ adducuntur regi (Ps. 44, 16). *Hi sequuntur agnum, quocumque ierit* (Apoc. 14, 4). Per hanc virtutem homo fit dilectus Deo sicut Joannes, illuminatus sicut Daniel, anima nostra fit sponsa Christi et consors Angelorum; homo fit sacerdos, mentem et corpus offerens integre Deo, immo fit martyr ferendo et vincendo tantum hostem, qui nunquam recedit a nobis.

III. *Impedimenta et conservativa castitatis.*

Impedimentum est nimis delicate nutrire corpus et vino replere. *Qui delicate a pueritia nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem* (Prov. 29, 21), Impedimentum est otium, quod fugiendum, in publico versari, incaute videre et legere et audire. Impedimentum est nimia securitas, cum vicino serpente ludere, navi se committere, cum possis in portu manere, ad ignem appropinquare sine necessitate. Nonne multi per nimiam securitatem ceciderunt?

Conservativa castitatis:

Fides in Christum, paratum juvare homines bonæ voluntatis, postquam natus est de Virgine, et cupientem

habere multos sibi similes in castitate, ut sint victores carnalis concupiscentiæ.

Opus divina lectione et meditatione sancta ad excludenda mala phantasmata et desideria.

Opus frequenti oratione: Domine, da, quod jubes, et jube, quod vis, sicut Augustinus orabat. Omni enim petenti dabitur, et *quodcumque volueritis, petetis et fiet vobis* (Joan 15, 7).

Opus adhibere arma spiritualia, quæ Sanctis in usu fuerunt ad carnem superandam; voluerunt enim non solum fugere pericula, sed etiam corpus castigare abstinentia, vigiliis, disciplinis, sicut fecit Paulus, Hilarion, Benedictus. Sed hic nobis nihil faciendum sine facultate Superioris, ne modum excedamus vel nimia severitate vel remissione.

Sæpe propositum castitatis renovare; certos patronos sibi eligere, præsertim Virginem Matrem; amor et studium mortificationis; desiderium patriæ et Beatorum.

28. De obedientia.

Causæ tractandi: 1. Ob regulam 24. in officio Rectoris, ut agatur in exhortationibus de observatione constitutionum et regularum, de fraterna caritate, humilitate, patientia, mortificatione et aliis virtutibus, præsertim de obedientia.

2. Bonus ordo requirit, ut post paupertatem et castitatem sequatur tractatio de obedientia.

3. Parum prodessent nobis et Deo placerent paupertas, per quam externa bona relinquimus, et castitas, corporis delectationes refrænans, nisi fundatæ essent hæ virtutes in obedientia, quæ facit omnia pretiosa, quæ minima videntur, ut accepta sint Deo et angelis, et homini meritoria ad salutem æternam consequendam ; unde manducans, bibens, dormiens, ludens, ambulans et se recreans ex obedientia semper lucratur et acquirit præmium et meritum speciale.

Duplex obedientia distinguitur, generalis et specialis. Generalis est, quam requirit Deus ab omnibus creaturis, non solum rationabilibus, sed etiam irrationabilibus, volens, illas suæ voluntati et suis præceptis obedire. Unde scriptum est : *Omnia serviunt tibi* (Ps. 118, 91); et : *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus* (Ps. 148, 8). Ita, cum dixit Deus : *fiat lux*, statim obedivit creatura, ut facta sit lux et dies. Ita dixit de cælo, aqua, terra : et mox facta sunt et operari cœperunt. Præcipue autem hæc obedientia lucet in creaturis rationabilibus, sicut sunt angeli et homines. Cum Deus in cœlo creasset angelos et novem eorum ordines, statim eis revelavit mysterium de incarnatione Filii et voluit illum in humana natura ab illis acceptari et honorari, juxta illud : *Adorent eum omnes angeli ejus* (Hebr. 1, 6). Qui hanc Dei voluntatem et legem acceptarunt suamque obedientiam præstiterunt, sicut Michael cum suis angelis, confirmati sunt in gratia, ex qua numquam possent excidere. Qui non receperunt, sicut

Lucifer cum suis asseclis, e cælo sunt ejecti propter inobedientiam et perpetuo maledicti. Nec homo vixisset in paradiso sine obedientia, ad quam exercendam Deus statuit præceptum illud : *De ligno scientiæ boni et mali ne comedas, in quocumque die comederis ex eo, morte morieris* (Gen. 2, 17). Et quia primi parentes fregerunt præceptum et inobedientes fuerunt, graviter a Deo puniti sunt cum tota posteritate et vulnerati in corpore et in animo.

Generalis etiam est obedientia, quam Deus a christianis omnibus exigit, sive sint magni sive parvi, divites vel pauperes, cujuscumque fuerint conditionis. Vult enim omnes fideles tanquam oves obedire summo pastori, cui dictum est : *pasce oves meas ;* sicut etiam Apostoli Petro obediverunt ut vicario Christi et capiti visibilis Ecclesiæ, præsertim cum in primo Concilio præsideret. Vult fideles suos in rebus temporalibus suis parere regibus et principibus tanquam Dei ministris, institutis ad bonorum defensionem et malorum timorem : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* (Rom. 13, 1). Vult hanc obedientiam præstari ab omnibus filiis erga parentes, unde dixit : *Honora patrem et matrem* (Deuter. 5, 16), et maledixit inobedientibus filiis. Vult uxores obedire maritis et sub eorum esse potestate, nec dominari in viros, sed esse in silentio. Vult servos et ancillas suis heris obedire sive fidelibus sive infidelibus, sicut Petrus et Paulus præcipiunt, diligenter exigentes ab illis sinceram et simplicem obedientiam in omnibus in

timore Dei. *Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum servientes etc.* Eph. 6, 5. 6.

Cur autem adeo urget Deus et omnibus injungit obedientiam, a qua nullus est liber, quamdiu vivit in corpore? nempe ut homo fortem habeat medicinam contra suam propriam voluntatem, quæ radix malorum est et in omni bono multos impedit ac semper sicut malus puer indiget paedagogo. Hæc voluntas initium est omnis peccati et inobedientiæ, quæ et sola damnat hominem.

Specialis est obedientia religiosorum, qui sponte, intuitu Dei, Superiorum se subjiciunt potestati, commendata ob perfectionem et meritum.

Inductiva ad hanc obedientiam sunt:

1. Doctrina Christi, qui eam commendavit, cum dixit juveni: *Si vis perfectus esse, veni, sequere me* (Marc. 10, 21); et cum dixit: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum* (Matth. 16, 24).

2. Exemplum Christi. Christus nullam virtutem magis exercuit et suo exemplo confirmavit, volens obedire parentibus *(et erat subditus illis*, Luc. 2, 51), sacerdotibus, Pilato, et multo magis æterno Patri; unde humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem. In hac virtute suos exercuit Apostolos, mittens illos in universum orbem.

3. Meritum. Nihil facilius dictu, nihil difficilius factu quam obedientia. Hæc obedientia difficilior est quam paupertas, per quam externa bona relinquuntur,

difficilior quam castitas, quæ refrænat corporis delectationes. Nam per obedientiam mactatur voluntas propria, quæ nobis est intima et maxime libera ; unde dicit Scriptura : *Melior est obedientia quam victimæ.* (1 Reg. 15, 12).

4. Fructus. Hominem de beneplacito Dei certum facit ; nulla major libertas, quies, securitas, quam renuntiare propriæ voluntati, quæ ad omne malum impellit, in omni bono nos impedit, quæ sola damnat et ardet apud inferos. Quid obedientia voluntaria, nisi paradisus ?

5. Obedientia confert ad finem nostrum. Nam facit Deum perfecte amare, tollens impedimentum ex parte intellectus et affectus, ut homo simpliciter et Deo et divinæ voluntati se submittat, relinquens suum judicium ; et sicut ipse liberalis est erga Deum in dando, ita et vicissim Deus cum ipso communicat dona sua; hæc obedientia facit hominem pauperculum secundum illud : *Super quem requiescet spiritus meus nisi super pauperculum et humilem?* (Isa. 66, 2.)

Obedientia est exterior et interior. Exterior requirit imprimis promptitudinem sine mora et dilatione, etiamsi homo bonum opus intermittere cogatur ; imo sic duplum acquirit meritum, quum unum opus intermittit propter obedientiam ; requirit largitatem et extensionem ad omnia, quæ non inducunt peccatum, sine exceptione; requirit perseverantiam, quæ facilis est ob commoda varia, quæ nobis in religione dantur ad evitandum peccatum. Obedientia interior requirit amorem, quia

Judæorum est regi lege timoris, nec facit acceptos Deo timor, licet etiam in obediente debeat esse, præsertim ad mortificandum hominem exteriorem ; requirit reverentiam, quia Superior Dei locum tenet, quem qui audit, Christum audit ; exigit non solum externam operationem et voluntatem promptam, sed et judicium totum.

Tres gradus obedientiæ : primus gradus, qui consistit in executione præcepti ; secundus in unione voluntatis cum voluntate Superioris ; tertius in unione intellectus, quem captivat. Ad hoc opus est fide in Deum, qui sit in Superiore et gubernet. Pater Ignatius, magister obedientiæ, vult præsertim, ut Christum in Superiore agnoscas cum omni devotione, quia sit interpres divinæ voluntatis.

Quæ peccata maxime vitanda ?

Resp. : Murmurationes, propter quas tam pauci Israelitæ in terram promissionis ingressi. *Custodite vos a murmuratione ; quæ nihil prodest* (Sap. 1, 11). *Nos quid sumus, quod mussitastis contra nos* (Ex. 16, 7)? *Quasi peccatum ariolandi est repugnare et quasi scelus idololatriæ non acquiescere.* (1 Reg. 15, 23). *Usquequo multitudo hæc pessima murmurabit contra me ?* (Num. 14, 17.)

Peccatum inobedientiæ mortale est, quando conjunctam habet elationem contemnentis subditi vel pertinaciam et obstinationem ; tunc enim est peccatum usque ad mortem, dum homo non vult obedire. Alia est inobedientia culpabilis, sed non damnabilis, ex

infirmitate procedens sine contemptu, manente radice bonæ voluntatis, quæ filios obedientiæ lapsos facile sanat.

29. De mortificatione necessaria.

Opus est abnegatione sui, per quam mortificemus nos et deponamus malo affectus et imperfectiones. *Nisi enim granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert* (Joan. 12, 24). Ita et nos, qui sumus in terra, mori debemus et in aliam transire naturam per obedientiam; sic enim mortui nostræ sensualitati et mortificati fructum facere poterimus. Quo magis homo relinquit suam sensualitatem, eo magis divinam gratiam capiet. Seminare nos oportet in lacrymis, ut cum exultatione metamus. Christus ipse docet, mortificationem esse adhibendam. Quantum enim ille passus ab infantia ad mortem usque! Non curavit divitias, sed paupertatem; non honorem, sed obedientiam; non delicias, sed dura naturæ. Si ergo Christum oportuit pati, nonne et nos pati oportet? Docent et Sancti mortificationem, qui tam fortes fuerunt in seipsis abnegandis, in cruce ferenda, in paupertate gustanda, in virtutibus omnibus exercendis, juxta illud: *Contendite intrare per angustam portam* (Luc. 13, 24); *transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium* (Psalm. 65, 12). Docet natura ipsa hanc necessitatem, cum sit prona et pro-

clivis ad malum et indigeat perpetua vigilantia et repugnantia ex parte nostri. Exemplum habemus in tractante ferrum et adhibente ignem et malleum, quia manus non sufficiunt. Natura nostra ferrea est; uti ergo debemus et nos igne caritatis divinæ, ut emolliatur cor nostrum, et malleo mortificationis. Nonne et artifex, qui vult egregiam statuam hominis sculpere, paulatim ruditatem lapidis primum detrahit, deinde eundem conformat in varia membra, et sic expolit et tandem optatam formam ei dat? Item quam multo labore indiget lana, priusquam ex ea homini vestis conficiatur, quæ eum ornet? Sic anima nostra non potest ornari veste Christi, induere Christum, nisi prius multa sustineat.

Mortificatio autem versari debet circa tria: scilicet circa peccata, malos habitus et malas inclinationes. Mortificanda concupiscentia oculorum, concupiscentia carnis et superbia vitæ, et quidem per paupertatem, castitatem et obedientiam; his enim mediis recuperare debemus perditam sanitatem. Agendum præcipue de concupiscentia carnis.

I. Caro est nobis hostis omnium infensissimus et domesticus, qui ubique et semper nobiscum est, sive dormiamus sive vigilemus, sive laboremus corpore sive studeamus. Hunc hostem, a quo ceteri fomitem sumunt, scilicet mundus et diabolus, non nisi mortificatione et castitate devincere possumus, sed et debemus. *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam, et qui amat animam suam, perdet eam*

(Joa. 12, 25). Hinc Sancti non mundum, non dæmonem, non tormenta, sed carnem solum timuerunt.

Sed cur odio habere debemus carnem nostram? Quia cum homo sit præditus anima et corpore seu ratione et carne, ratione comparatur angelis, carne bestiis: qui ergo sequitur carnem, rationem relinquit, et similem se facit bestiis. Christus ipse odio habuit carnem; siti, jejuniis, laboribus et tormentis eam crucifixit; Sancti omnes variis cruciatuum generibus carnem crucifixerunt; et si cupimus æternam beatitudinem, debemus odio habere carnem, malas ejus concupiscentias et inclinationes et affectus excindere.

II. Ut autem hunc hostem debellemus, oportet, ut ejus naturam studeamus cognoscere, et qui sint ejus adjutores, tum et naturam spiritus, qui debet eum debellare, uti et ejus auxiliatores; sicuti prudens belli dux, antequam oppugnat inimicos, quærit sedulo eorum naturam, potentiam, munimenta cognoscere, ut eos suis copiis rite dispositis debellet. Quæ ergo natura carnis nostræ?

1. Talis est carnis nostræ natura, ut, quanto fortius oppugnatur a spiritu, tanto debilior fiat et imbecillior, et quanto tepidius, tanto evadat fortior.

2. Talis est natura carnis, ut nihil aliud appetat nisi sensibilia, uti et bestiæ, et dum in illis quærit suum pastum, aliquando trahit secum et spiritum, et hinc opus, ut spiritus carnem sicut equum fræno constringat. Caro quidem convocat auxilium dæmonis et mundi, et quando suggerit dæmon aliquid carni, illa

objecta statim apprehendit, sicut et quando mundus aliquid objicit ad videndum, audiendum, gustandum, statim illud amplectitur; ratio autem non debet sequi sensualitatem, sed illi imperare.

3. Caro abutitur quoque suis passionibus, quibus conatur perturbare rationem et mentem et fallit sub specie boni. Caro nostra facit sicut pugil, qui, cum videt, se non posse vincere adversarium, projicit pulverem in ejus oculos et sic præpeditum occidit. Caro utitur astutia. Ita, cum aliquis statuit aliquid boni facere, dicit: »ne hoc faciamus, ne mortificemus nos ita, noceret enim valetudini," abutendo sic amore naturali; sed nos debemus amare carnem non aliter ac pater filium, qui, dum animadvertit in filio vitium aliquod, statim eum reprehendit et punit. Ita et nos, dum caro nos sollicitat ad aliquid mali, statim oportet eam reprehendere et punire mortificatione et disciplina.

4. Caro aliquando amat spiritum, ut et spiritus carnem, propter copulationem suam. Ita, cum spiritus delectatur consolationibus spiritualibus, et caro inde exultat; et quando homo habet v. g. aurum, spiritus quoque gaudet, non quia cupit aurum, sed propter copulationem.

Quæ autem est natura spiritus nostri? Natura spiritus est, quod appetat solum spiritualia, ut scientiam, rerum cognitionem, amorem Dei et id genus alia, quæ ei sunt propria. Auxiliatores habet Deum, Angelos, Sanctos, Superiores, Scripturam Sacram, sanctos libros et omnes homines bonos. Deus eum juvat immediate

vel mediate, per gratiam vel per sacramenta venerabilia, per virtutes, quibus nos liberare possumus ab impedimentis; sed semper nostra cooperatio debet accedere ad ejus gratiam; neminem enim cogit Deus, invitat quidem per gratiam et media, apponit ignem et aquam, sed liberum arbitrium nostrum non cogit.

III. Quomodo mortificanda caro? Mortificare possumus carnem nostram fugiendo occasiones peccandi et strenue pugnando cum ea. *Castigo corpus meum et in servitutem redigo,* inquit Sanctus Paulus (1. Cor. 9, 27). Ergo non occidendum corpus, sed castigandum, in servitutem redigendum est, ut fiat instrumentum spiritus ad digne operandum et cooperandum divinæ gratiæ. Modum docebit prudentia et obedientia.

Tres sunt tamen gradus præcipui mortificandi carnem, qui respondent triplici statui in via spirituali.

1. In illicitis, id est, ita abnegare potentias interiores et exteriores, ut homo nihil agat, quod esset contra rationem, obedientiam, quod esset peccatum; hic gradus est incipientium servire Deo.

2. In licitis et non necessariis, id est, mortificare se etiam in illis, quæ licita sunt et non necessaria, ex studio virtutum et profectus spiritualis; hic gradus est proficientium.

3. In licitis et necessariis, id est, ita se mortificare, ut non nisi necessaria et vix necessaria carni suppeditemus, et inclinationem naturæ etiam in his corrigamus ratione et bona intentione; hic gradus requirit prudentiam et est perfectorum, qui soli Deo vivunt.

30. De corpore gubernando.

Homo carnem habet adversariam, quia *concupiscit caro adversus spiritum* (Gal. 5, 17); caro, inimicus noster domesticus, quem nec occidere nec fugere licet, immo quem fovere oportet, ut necessaria ei provideantur ex Dei ordinatione.

Nota 1: quod corpus in statu innocentiæ magnum habuit honorem et præcipuam inter omnia corpora nobilitatem et pulchritudinem; quod corruptionis et mortis expers futurum erat, nihil habiturum turpitudinis aut confusionis in suis operationibus, semper obediturum spiritui rationali, a quo cum pace et quiete perpetua regeretur.

Nota 2: quod corpus in statu solius naturæ corruptæ rebellat spiritui et ad delectabilia carnis brutalem habet pronitatem, ab initio in libidinem proclive, hominem quasi pecudem reddens. Nullus hostis, nulla pestis nocentior, quam familiaris hic inimicus, qui omni tempore et omni loco nobis adest, cujus opera quotidie indigemus, sine quo vivere non possumus, quia spiritui alligatur et cuique a Deo committitur. Est jumentum sine jugo, bestia lasciva, importunus exactor, servus rebellis et contumax adversus heram, id est, animam, indigens correctione sicut piger asinus, equus effrænis, sessori resistens, laboris impatiens, ad bellum male serviens, nec contra hostem in bello commodus, nisi bene instituatur. *Homo, cum in honore esset, non intellexit, sed comparatus est jumentis et*

similis factus est illis (Ps. 48, 21). *Sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua* (Gen. 8, 21).

Nota 3: quod corpus hominis in statu gratiæ magnum honorem propter spiritum accepit in Christo, et majorem in eodem Christo honorem expectat, ut aliquando glorificatum Christi corpori nobilissimo conformetur. Sic corpus fidelis est habitatio et templum Dei, quia ibi Deus cum spiritu rationali habitat suamque domum exornat: *Nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est* (1. Cor. 6, 19)? *Domum tuam decet sanctitudo, Domine,* (Ps. 92, 7). Igitur, ob spiritum hunc inhabitantem corpus magnum honorem accipit ac retinet et omnia excellit corpora, quæ huic spiritui non sic associantur, atque ita in honore singulari custodiendum est, ne alioquin spiritum faciat ingloriosum. Unde Sanctus Paulus: *Glorificate et portate Deum in corpore vestro* (1. Cor. 6, 20). Nec habitat ille *in corpore subdito peccatis* (Sap. 1, 4), sed munda requirit hospitia. Igitur corpori opus est jugi disciplina, per quam fiat servus spiritui subditus, equus ad pugnam expeditus, ita ut in servitutem redigatur, ne rebellare pergat spiritui secundum naturam corruptam. Hæc disciplina eget adjutorio gratiæ et consuetudine sancta, quæ vertatur in delectationem spiritui consonam, ut hic equus sessori libenter pareat, laboris patiens, et servus utilis domino et fidelis socius in via. Ita tractandum est corpus, ut non insolescat, sed serviat ad

laborem, non sit impedimentum, sed adjumentum peregrinanti, non ut ob illud vivamus, sed quia sine illo vivere non possumus. Tractandum est illud sicut ægrotus, cui multa neganda sunt, quia inutilia et nociva volenti, multa etiam ingerenda nolenti utilia et salutaria. Perversum est, servum dominari et dominum pedissequum agere. Christus, ut exemplum nobis daret, elegit, quod carni molestius et in cruce voluit mori. *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt* (Gal. 5, 24). *Obsecro vos, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem* (Rom. 12, 1).

Nota 4: corpus hominis in statu gloriæ tanto futurum splendidius et pulchrius, quo magis Christo capiti crucifixo configuratur, quia, sicut compatitur, ita et conglorificabitur. Bene tunc corpori, quod nunc vivit Deo, sibi et mundo mortuum, ut sit hostia sancta, sine macula culpæ et placens Deo ob puritatem. O quam pulchre fulgebunt corpora Sanctorum, qui Christi stigmata circumferent, et aureolis ornabuntur ob virginitatem, martyrium et traditam aliis doctrinam salutis! Contra vero deformia corpora reproborum, qui hic secundum carnem ambulant et corpori magis quam spiritui serviunt.

II. EXHORTATIONES DE FESTIS PER ANNUM OCCURRENTIBUS.

1. Exhortatio de Adventu Domini.

Bonum est Thomæ Kempensis consilium, ut spirituales et devotionis amantes observent præcipua festa et secundum illa se mutent circa exercitia spiritualia. Nam humana fragilitas tanta est, ut etiam probi egeant renovatione et variis modis in via Dei sint excitandi. Unde Angelus excitavit Eliam in suo itinere dormientem sub umbra juniperi: *Surge et comede, grandis enim tibi restat via* (3. Reg. 19, 7). Dormimus et nos, et egemus excitatore, unde et mittit ad nos Ecclesia Paulum clamantem in epistola: *Hora est jam nos de somno surgere*, et Lucam in Evangelio admonentem nos de judicio. Dicam igitur de præsenti tempore Adventus:

I. Cur omnes Adventum libenter debeant acceptare et cum devotione et fructu peragere;

II. Quid nobis hoc sacro tempore faciendum, ut majorem ex eo fructum colligamus, et tempus hoc sanctificetur.

I. Non solum consilium, sed et præceptum est Spiritus Sancti, per Salomonem loquentis: *Audi, fili mi, disciplinam patris tui et ne dimittas legem matris*

tuæ. (Prov. 1, 8). Hæc mater est Ecclesia sancta, juxta Epiphanium; lex ejus est inter alias, ut fideles omnes, velut in una domo habitantes et sub uno patre et matre gubernante, rectum ordinem teneant, præsertim in cultu Dei, tam interiore quam exteriore, juxta illud : *Omnia secundum ordinem fiant* (1. Cor. 14, 40). Ad talem ordinem spectat anni et festorum ejus distributio, ut certa habeamus tempora ad celebrandum Adventum, Christi Natalem, Quadragesimam, Pascha, Pentecosten. Nec dubium, Apostolos Christi primos fuisse, per quos Deus hunc ordinem instituit et jussit observari a Christi fidelibus ubique gentium. Petrus dicitur Adventum instituisse. Ex Paulo constat, quod servaverit Pentecosten. Joannes indicat de Dominica suo tempore instituta et celebrata. Ex Theophilo et Hieronymo probatur, Apostolos Quadragesimam instituisse; Augustinus idem confirmat de Paschate et aliis festis Christi, hactenus ubique gentium observatis, quibus fidei nostræ mysteria utiliter confirmantur et manifestantur populo. Talis ordo prodest ad Christi gloriam, ad fidei veræ confirmationem, ad confusionem hæreticorum, ad obedientiam omnium et ad excitandum et renovandum populum.

Quod ad nostrum Adventum attinet, debet ille omnibus fidelibus esse gratus multis ex causis et cum magna peragi devotione :

1. Ob antiquitatem Adventus, tamdiu instituti, et auctoritatem Apostolorum instituentium et Patrum commendantium illum ;

2. Ob utilitatem, quia recte peragere Adventum est audire Christum loquentem et mandantem in Ecclesia, negligere est Christum et Spiritum Sanctum spernere, a Christi corpore se separare, est se spoliare fructu, quem boni et obedientes collegerunt tot sæculis et adhuc colligunt confessione præcipui articuli veræ fidei : *qui conceptus est de Spiritu Sancto*, sancta ad Natalem Domini præparatione, exhibitione obedientiæ Ecclesiæ debitæ, bonorum operum exercitatione.

3. Ratione temporis peculiaris, quo incipitur novus annus. Agnoscere oportet hoc tempus Adventus, quod est principium anni juxta Ecclesiæ ordinationem, unde breviaria et missalia de novo inchoantur.

Est renovatio christianæ doctrinæ sive catechismi, qui quotannis de novo nunc incipitur, initio sumpto a Christo, qui est principium et finis, auctor et consummator nostræ fidei. Est tempus devotionis, quam monstrat Ecclesia erga Christum (Messiam) et Matrem Domini et etiam in fidelibus conatur excitare, et quam majores semper exercuerunt, cum hoc tempore maxime mysterium Incarnationis pie recolerent, de quo etiam solet per hebdomadam prædicari multis in locis. Item præparatur populus ad festum Nativitatis, et multa leguntur et cantantur ad Messiæ Adventum spectantia, sicut alio anni tempore fieri non solet. Tempus est pœnitentiæ, propter quod Joannes, pœnitentiæ prædicator, in Adventu peccatoribus proponitur, et hinc ab Ecclesia prohibentur sæculares festivitates, luxus, levitates et vanitates, sicut et Concilium Agathense et

Illiberitanum vetant nuptias et choreas. Unde ex Paulo etiam repetitur: *Non in comessationibus et ebrietatibus*. Exstant vestigia veteris abstinentiæ apud multos catholicos, sicut et devotionis et communionis. Hoc tempore repræsentatur nobis tristis status synagogæ, et quomodo populus Dei, sedens in tenebris et umbra mortis, aspirabat ad solem justitiæ, et talem adventum multis sæculis desiderabat et expectabat lugendo et clamando: *Ostende nobis misericordiam tuam; rorate, cœli, desuper et nubes pluant justum; deosculetur me osculo oris sui.* Sic Abraham et Simeon optabant videre diem Domini.

Vix meretur dici christianus, qui suum Adventum non magni facit, nec aliquo modo in illo innovatur et de somno negligentiæ surgit ac vigilat in servitio Dei. *Nox enim præcessit, dies autem appropinquavit. Hora est, jam nos de somno surgere* (Rom. 13, 12. 11) et cum David (Ps. 24, 1) dicere: *Ad te levavi animam meam.* Omitto, quomodo veteres in quatuor Dominicis considerarint quadruplicem adventum Domini: in carne, ad judicium, in animam et in morte cujuslibet. Item, quomodo multis modis hoc tempus Domini in templo et domi sanctificarint, seque et suos præpararint ad festum natalitium Domini, meditantes præcipuum fidei articulum: *qui conceptus est de Spiritu Sancto,* mysterium Incarnationis, summum Dei opus et beneficium ineffabile, maximum caritatis opus et perfectum signum, mundum Deo reconciliatum esse.

II. Quomodo Adventus nobis incipiendus et sanctificandus?

Sicut Christus majorem justitiam a Christianis quam a Judæis, sic etiam a spiritualibus majorem quam a sæcularibus requirit hoc sacro tempore. Alioquin timendum, ne sæculares ipsi, præsertim majores nostri, nos accusent et confundant, si contra illorum exemplum Adventum nostrum male inciperemus et transigeremus. Væ nobis minus curantibus Adventum, quam majores fecerunt! Ipsi cucurrere ad audiendum prædicatores pœnitentiæ, agebant pœnitentiam, confitebantur peccata sua, humiliabant se. Deinde non potest habere et sentire felicem diem Christi natalem, qui se non præparet hoc tempore et quasi cum Joanne Baptista in deserto se contineat seque illi conformet.

1. Opus est nos erigere ad peculiarem meditationem de mysterio Incarnationis, considerando pio affectu, quis et quantus ille, qui venit; unde et quo veniat; ob quam causam, quando; qua via veniat et mittatur in mundum.

Quis venit? *Filius Altissimi*, *Rex regum*, *Dominus dominantium*.

Unde venit? *A summo cœlo egressio ejus* (Ps. 18, 7). *Exivi a Patre* (Joan. 16, 28).

Quo venit? *Veni in mundum* (Joan. 16, 28); in carceris hujus horrorem tanta celsitudo dignata est descendere.

Quare venit? *peccatores salvos facere* (1. Tim. 1, 15), *salvare*, *quod perierat* (Luc. 19, 10), *ut eos*, *qui sub*

lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum recipe-remus (Gal. 4, 5), *illuminare eos, qui in tenebris et in umbra mortis sedent* (Luc. 1, 79), *evangelizare pauperibus, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem, cæcis visum* (Luc. 4, 18. 19).

Quando? in sexta mundi ætate . . . ubi *venit plenitudo temporis.*

Quomodo venit? Immortalis factus mortalis, impassibilis passibilis, gloriosus despectus, dives pauper pro nobis.

Qua via venit? Per Mariam, quam Filius Dei elegit sibi Matrem.

2. Opus est peculiariter honorare beatam Virginem, in cujus utero *Verbum caro factum est.* Juvabit hoc tempore pie recolere, quomodo a Deo missus ad eam Gabriel Archangelus, recolere colloquium ejus cum Gabriele, venerationem Archangeli erga Virginem et virtutes Virginis, fidem, humilitatem, virginitatem etc. Proderit hoc tempore devotius recitare horas et rosarium Virginis, uti et salutationem, ad quam pulsu campanæ ter in die invitat Ecclesia in memoriam mysterii Incarnationis.

3. Opus est meditationes et lectiones spirituales tales seligere, quæ nos juvent ad magis cognoscendum, amandum et imitandum Christum.

4. Quod ad pœnitentias et mortificationes attinet, non est nobis obligatio certa in Societate vel præscripta, sed usu et exemplo piorum Patrum et fratrum confirmatum habemus, ut aliquid præter morem am-

plius faciamus et quasi suppleamus, quod alio tempore negligimus. Hæc pœnitentia tanto laudabilior et justior, quanto propinquiores sumus novo anno et confessioni generali et renovationi votorum. Præscribit nobis regula 12. quærere in omnibus majorem nostri abnegationem et continuam mortificationem. Si vere amatores mortificationis essemus, ut requirit regula, non tam difficiles et morosos nos præberemus, cum levis pœnitentia imponitur, pœnitentias sponte sæpius peteremus, sicut alibi fieri solet. Nostis morem in scripto notandi et Superiori offerendi pœnitentias, et sic non privaremus nos fructu, quem percipiunt multi crucis amici et veteris hominis inimici. Non cogitamus illud, quod Christus docuit de abnegatione et de cruce ferenda, nec quod Paulus docuit de mortificatione et castigatione corporis. Pauci sunt Andreæ in cruce amanda et læte patienda. Deus det nobis et augeat verum zelum mortificationis, quem Christus in mundum veniens statim ostendit!

5. Specialiter hoc tempore commendatas nobis habeamus regulas modestiæ in aspiciendo, loquendo, agendo, incessu, gestu, conversatione et silentio.

6. Consultum est, exercere misericordiam saltem spiritualem, ex animo compatiendo pauperibus plurimis, qui in tanta caritate annonæ nec se, nec suos alere possunt et fame pereunt; Deum orando pro patientia illis necessaria et pro divitibus, ut illis in tanta necessitate velint succurrere, et ut omnes flagellum iræ divinæ et tempus visitationis agnoscant

Deumque sincera conversione placare studeant. Merito confundimur, nobis esse nomen paupertatis, rem vero et opus esse apud alios, qui non obligantur ad paupertatem ex voto servandam sicut nos, et interim vix contenti sumus illis, quæ abunde nobis suppeditantur.

7. Orandus etiam Deus, ut det bonos Adventus prædicatores, Joanni similes, ad convertendos peccatores, ad parandam viam Domino, clamantes voce in deserto ad consolandos bonos et terrendos malos, quia Christus prædicandus est non solum ut agnus, sed et ut judex.

Oremus, ut multi nostrorum ex Adventu Domini fructum referant cum Andrea, qui non modo cognovit Messiam (Joan. 1, 41. *invenimus Messiam*, inquit), sed etiam, zelo vero accensus, fratrem Christo lucrifecit et multa millia; non modo fuit prædicator, sed et amator crucis, et sine cruce mori noluit, quotidie sacrificans. Oremus et pro abutentibus tempore hoc salutis, scilicet hæreticis et a fide deficientibus et christianis voluntarie peccantibus et in somno peccati dormientibus. Multi ita parum proficiunt ex Adventu, sicut Bethlehemitæ, qui Christum non receperunt *(in propria venit et sui eum non receperunt* (Joan. 1, 11); sicut Judæi, quibus positus erat in ruinam; sicut carnales inimici crucis *(venit lux in mundum et dilexerunt homines tenebras magis quam lucem*, Joan. 3, 19); sicut tepidi, qui nec amant venientem Dominum in tanta humilitate, nec timent venturum in secundo adventu cum magna majestate.

2. De Natali Domini.

(Ad fideles). Nullus miretur, nos catholicos habere et retinere veterem morem in hodierno festo solemniter et læte celebrando, cum speciali memoria Christi Domini nati in Judæa. Nam hæc consuetudo etiam innata et probata fuit ethnicis, qui suos principes et eorum filios in diebus illorum natalitiis ornarunt et honorarunt. Unde (Gen. 40, 20) legimus de Pharaone, celebrante multis diebus suum natalitium et faciente grande convivium pueris suis. Vocavit Herodes principes et tribunos Galilaeæ propter natalem suum, faciens cœnam et saltationem (Marc. 6, 21). Fideles etiam hunc morem approbarunt et servarunt cum Abraham, cui centenario natus est Isaac ex sterili conjuge Sara; unde ipse cum uxore magnum habuit gaudium, dicente Sara: Risum fecit mihi Deus; quicumque audierit, conridebit mihi, et Abraham fecit postea grande convivium (Gen. 21, 7. 8). Elcana habuit filium Samuelem ex Anna sterili, et illa gratias egit Deo, dicens: *Exultavit cor meum in Domino* (1. Reg. 2, 1). Zacharias et Elisabeth habuerunt filium Joannem Baptistam, de quo dixit Angelus: *Multi in nativitate ejus gaudebunt. Erit gaudium tibi et exultatio* (Luc. 1, 14). Veniebant vicini et cognati, congratulantes matri, quia magnificavit Dominus misericordiam cum illa, et pater vocis usum recepit, benedicens Deum. Quis ergo nobis christianis vitio vertet, quod ob regem nostrum hodie natum læte festum celebremus et diem ejus natalem

in honore habeamus? Ne quis putet, nos feriari et gaudere, sicut alii mundani solent de suis et aliorum principum filiis.

1. Nullus est natus, de quo prædictum et scriptum esset, sicut de nostro puero, quod esset de semine Abraham, de tribu Juda, de stirpe David, de Virgine Matre natus, in civitate Bethlehem, tempore pacis universalis, post ablatum sceptrum Judæ, post septuaginta hebdomades Danielis. Et in hoc puero impletæ hæ prophetiæ.

2. Nullus est natus, tam multis titulis ornatus et honoratus. Vocatur a Jacob patriarcha Schiloh (Gen. 49, 10); Moyses vocat illum prophetam magnum (Deut. 18, 15); David eum vocat unctum Domini (Ps. 2, 2); Isaias Emmanuel, consiliarium, admirabilem, Deum, patrem futuri sæculi, principem pacis (Is. 9, 6); Hieremias eum vocat justum, Dominum et Salvatorem, Daniel Sanctum Sanctorum, Michæas Dominatorem Israelis, Joël doctorem justitiæ, Malachias solem justitiæ, Aggæus desiderium gentium.

3. Nullus est natus magis desideratus et expectatus inde ab orbe condito. Expectavit illum Adam tanquam semen mulieris ad conterendum caput serpentis antiqui (Gen. 3, 15). Expectavit illum Lamech sicut verum Noe, qui consolaretur *homines ab operibus et laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus* (Gen. 5, 29). Expectavit illum Abraham, ut in hoc ipsius semine benedicerentur omnes gentes. Expectavit illum David, sciens, quod de fructu

ventris ejus poneretur infans super thronum ejus. Expectarunt prophetæ, reges et justi cum Simeone, ut viderent Christum Dominum in carne cum pastoribus, et ut implerentur prophetiæ in hujus nativitate.

4. Nullus natus est cum tantis miraculis concurrentibus. Numquam enim fuit pater talem producens filium et cum illo plus donans familiæ et subditis ejus. Nulla mater tam mirabilis, ut sine dolore et damno castitatis pareret magisque gauderet. Nullus natus cum talibus ministris de cœlo venientibus et cantantibus Deumque laudantibus. Nullus natus infans tam potens, ut jacens in præsepio stellam creet in cœlo et illuminet Magos; tam sapiens, tam dives, quia plenus gratia et veritate; tam mirabilis, qui esset simul parvus et magnus, Deus et homo, Verbum et caro, rex et servus. Nullus natus, qui ita se exinanivit, factus infans, tener, pauper et mundo ignotus.

Si ergo umquam in mundo gaudium fuit propter natum puerum, nunc debet esse magis propter hunc puerum, qui solus dicitur et est Emmanuel; qui dicitur ab Angelo Salvator et Christus Dominus; de quo solo dici potest et debet: *Puer natus est nobis, Verbum caro factum est et habituit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti.* Gaudete igitur, pueri, quia Deus vobis similis factus est! Gaudete, virgines, quia Virgo peperit sine dolore! Gaudete, mulieres, quia mulier virgo facta est Mater Dei! Gaudete, patres in limbo, quia respexit Deus gemitum vestrum! Gaudete, filii Abrahæ, quia impletur

patris vestri desiderium ! Gaudete, peccatores, quia mediator et reconciliator vester et medicus advenit ! Gaudete, justi, cum adsit vester remunerator, vestra merces ! Gaudete, omnes christiani, et cantate canticum novum et exultate in rege vestro, qui decore se induit et regnare incepit super terram !

Nisi hunc diem Christi agnoscamus et solemniter celebremus, pejores sumus Judæis et ethnicis, festa sua sedulo venerantibus ; imo insipientiores sumus bestiis, Dominum suum et benefactorem agnoscentibus. Si mihi non creditis, toti Ecclesiæ credite, quæ tot sæculis amorem et devotionem hac die habuit et ostendit. Si Ecclesiæ non creditis, saltem Angelum audite, tam læte concionantem Judæis ac ethnicis ac lætitiam ab omnibus exigentem, sicut et Isaias hoc gaudium prædixerat.

3. Pro feriis Natalitiis.

I. Hodiernam allocutionem hoc sanctissimo festo aliter et melius inchoare nescio, quam egregiis verbis, quibus propheta regius David natalem Domini, quem in spiritu vidit, ornavit et fideles omnes ad Dei laudem excitavit et admonuit : *Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit ; salvavit sibi dextera ejus et brachium sanctum ejus. Notum fecit Dominus salutare suum : in conspectu gentium revelavit justitiam suam. Recordatus est misericordiæ suæ et veritatis suæ domui Israel. Viderunt omnes termini terræ*

salutare Dei nostri. Jubilate Deo, omnis terra: cantate et exultate et psallite (Ps. 97). Talibus et similibus verbis docet propheta, quomodo fideles natum suum Messiam excipere, celebrare et eo uti debeant, cum sincera scilicet gratitudine, considerando summam gratiam, quam illis Deus exhibuit per recens natum Messiam, qui toties promissus, tot millibus annorum exspectatus, tam ardenter desideratus et omnibus peccatoribus necessarius magis, quam sanitas ægroto, lux cœlo, redemptio captivo, fortitudo infirmo et vita mortuo. Quis potest talem nativitatem, adventum talis Messiæ satis mente percipere et verbis prædicare! *Cantate*, inquit David, *Domino* pro tali tantoque dono, cantate, non vetera cantica, sicut Moyses, Anna, Zacharias; cantate *canticum novum*, quia novum beneficium canticum novum et laudem novam exigit; cantate canticum novum, *quia mirabilia fecit*. Quid enim admirabilius quam Deum suam omnipotentiam sic clare ostendere, uniendo infimum cum summo, ultimum cum primo, creatum cum increato, et talem unionem fieri in unitate personæ, non hominis, sed Dei, non creaturæ, sed creatoris, et sic exaltari miseriam humanam ad summam et beatissimam dignitatem, et Verbum illud, quod in principio est apud Deum et unius substantiæ cum Deo et ab æterno a Patre et perpetuo generatur, carnem fieri et a Virgine paupere nasci? Nonne mirabilis sapientia, ut homo, lapsus in culpam peccati et in inimicitiam Dei, qui neque pro se neque pro aliis posset satis-

facere, talem acciperet Mediatorem, qui tanquam Deus posset satisfacere justitiæ divinæ et restituere per humilitatem hominem, qui per superbiam perierat, et liberare ex amore mundum, qui ex invidia dæmonis seductus, Dei maledictionem promeruit? Nonne mirabilis bonitas, quod non angelus, sed Deus venit in mundum, beatus propter damnatum, Dominus propter servum, assumpta servi forma, dives ob pauperem, assumpta pauperis forma et proprietate, venit ob carnales et caro factus est, venit ob mortuos et factus mortalis, idque sponte, ex amore, ad nostram omnium salutem et consolationem? Nonne mirabile, Deum Patrem sic amare servum, ut det Filium suum unigenitum; sic parcere inimico, ut dilectissimum Filium faciat pro eo pati; sic favere reo mortis, ut Unigenitum suum faciat pro eo solvere; sic aspicere mortuum, ut vitam faciat pro eo mori? Nonne mirabile, Filium, Verbum Patris æternum, Deum de Deo, lumen de lumine, qui perpetuam habet essentiam, qui omnia creat, omnia portat verbo virtutis suæ, omnia ornat, cibat, alit, vestit, esse infantem, jacere in præsepio, involutum esse pannis et ligatum, flere et plorare! *Salvavit sibi dextera ejus et brachium sanctum ejus;* scilicet multa Deus fecit mirabilia in antiqua lege per angelos, per Moysen in Ægypto et deserto, per Eliam et Elisæum, sed nunc *suo* brachio usus est, non alterius, ad superandum dæmonem et liberandum genus humanum a captivitate dæmonis. Nunc fecit, quod est maximum. Quale illud? *Notum fecit Dominus salutare suum:*

scilicet Christum, in quo salutem omnium constituit. Unde Angelus ad pastores: *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. Et hoc vobis signum: invenietis infantem pannis involutum et positum in præsepio* (Luc. 2, 10. 11. 12). Sed et *in conspectu gentium revelavit justitiam suam*, id est justum suum; nam etiam hodierna die exorta stella, revelans Magis in Oriente ortum nôvi regis. Unde canitur ex Paulo: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus* (Tit. 2, 11). Item »dies sanctificatus illuxit nobis, venite, gentes, et adorate Dominum, quia hodie descendit lux magna super terram.» Quæ causa tantæ gratiæ? *Recordatus est misericordiæ suæ et veritatis suæ domui Israel*, subaudi: sicut sæpe promisit Abrahæ *(Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*, Gen. 22, 18), et Isaac (Gen. 26, 4), et Jacob (Gen 28, 14), David (Ps. 131, 11), et per omnes prophetas, qui testimonium perhibent, quod ex semine Abrahæ, ex stirpe David, et tempore pacis et in Bethlehem nasceretur dominator in Israel (Mich. 5, 2), ablato sceptro de Juda (Gen. 49, 10), et absoluta hebdomada septuagesima (Daniel 9, 24), ex virgine (Isa. 7, 14). Hoc jam reipsa præstitit, cum nunc adsit et cernatur et contrectetur manibus, unde canimus: *Parvulus natus est nobis et filius datus est nobis* (Isa. 9, 6). Item *vidimus gloriam ejus* (Joan. 1, 14), *viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri*, viderunt omnes, non

in persona, sed in virtute, non corporalibus, sed spiritualibus oculis, et perceperunt beneficium et salutem illam magnam, quam natus puer attulit et per suos Apostolos hominibus dispensari fecit. Nam illi viderunt et probarunt hunc Messiam, ut dicerent: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ, et vita manifestata est, et vidimus et testamur et annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem et apparuit nobis: quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre et cum Filio ejus Jesu Christo* (I Joan. 1, 1. 2. 3). Vidit hunc Messiam oculis fidei Europa, Africa, Asia; et ubicumque gentes acceptarunt Evangelium, quod Apostoli et eorum discipuli ab Hierusalem per Samariam usque ad fines terræ prædicaverunt, eum agnoverunt et crediderunt plus quam videntes corporaliter, ut dicant: *Vidimus gloriam ejus*, nec solum agnoverunt, sed et adoraverunt et se totos ei subjecerunt. Quod pulchre Isaias indicat, de hoc puero loquens: *Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hædo accubabit, vitulus et leo et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos* (Is. 11, 6), et concludit: *In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur* (11, 10), id est, gentes feræ, barbaræ, sanguinolentæ, impiæ, idololatricæ deponent sævitiam et ex carnalibus fient spirituales, et agnoscent pro suo rege puerum et in illum, tanquam signum

altum et illustre, velut vexillum erectum, spectabunt, ad illum se convertent, qui sunt in insulis maris et in ultimis finibus terræ, ipsum colent et deprecabuntur et se illi subjicient. Concludit David a laude Dei: *Jubilate*, inquit, *Deo, omnis terra, cantate et exultate et psallite. Jubilate in conspectu regis Domini.* Hæc sæpe aliis et aliis verbis repetit. Nonne magnus ardor prophetæ in hortando ad jubilationem et laudem Dei? Hoc exemplum sequitur Ecclesia, tota exultat, tota est in contemplatione hujus mysterii, laudat Deum, gratias agit et non unam, sed tres missas a quolibet sacerdote jubet offerri in gratiarum actionem, suos ad laudem Dei nocte surgere jubet et cantat tam dulciter et eximie, ut hoc die et sequentibus festis annexis cor ferreum possit emollire.

II. Quid requirit a nobis hoc festum vel quis usus et fructus hujus mysterii nati parvuli?

Qualis et quantus est iste infantulus? Verbum, quod erat in principio, ante omnia, individuæ naturæ cum Patre; per quod omnia facta sunt, et sine quo factum est nihil; quod, cum in forma Dei esset et Deus ipse, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, factus filius Virginis, amicus, frater noster, natus, non in domo propria, sed in stabulo alieno, non in civitate, sed in via, positus, non in lecto, sed in præsepi, non in æstate, sed in hieme, non vir, sed infans delicatus, vestitus sacco mortalitatis et oneratus catena nostræ miseriæ; qui statim ad nos veniens incipit gravem pœnitentiam subire, non quærit nec admittit amica

carui, nihil vult adesse fastus et pompæ, sed omnia simplicia, dura, aspera, in principio, medio et fine vitæ. Hoc est verbum, quod factum est nobis, quod Dominus nobis ostendit. Quod Verbum æternum caro factum, maximum mysterium, beneficium immensum. Sed quæ causa, cur Filius Dei, Verbum æternum, se ita contraxerit, ut sic parvulus nasceretur?

1. Ob meritum, ut esset propitiator et mediator. Carnem assumpsit et in illa laborare voluit, in fame, siti, angustiis, animam in mortem tradere, sanguinem suum effundere et fieri nostra victima, ut redimeret nos a maledictione Dei propter peccatum, quod non potuit remitti Adæ et iræ filiis, nisi ipse se humiliaret, et ut peccati damnum et enormitatem discerenius.

2. Ob exemplum et medicinam: ut scilicet homo, qui per superbiam cecidit, per exemplum ejus humilitatis surgeret et erubesceret esse superbus, videns Deum esse factum hominem; et quia homo propensus est ad terrena et voluptates carnales, voluit ægroto statim propinare medicinam et eum suo exemplo docere et monere terrena despicere, carnis blandimenta negligere, immo crucem amare et pœnitentiam libenter suscipere.

3. Ob fiduciam excitandam in ejus bonitatem. Multi sunt pusillanimes, qui timent justitiam Dei ob sua peccata. En Filium Dei pro te factum parvulum, qui nihil habet severum et terrificum, qui non scit irasci et ulcisci, sed tantum pati et flere; qui se facile

sinit placari, qui natura totus benignus et affabilis est; unde etiam sinit manus et pedes ligari et involvi, se portari et lactari a Virgine paupere. Quid ergo, inclamat cuique nostrum, quid times miser? *Consolamini, consolamini, populo meus. Venite ad me omnes*, donate mihi, non aurum et argentum, sed peccata vestra, et meis humeris imponite, ob quæ incipio peregrinari ad mortem; ego pro illis satisfaciam, unde et nunc etiam fleo in præsepio.

4. Ad amorem in nobis excitandum. Quomodo autem non redamaremus illum, qui totum se nobis dedit et humanam naturam sibi univit et in ea nobiscum manet, vult esse, non solum creator, sed defensor, non judex, sed pater, sed amicus et frater? Volumus ambulare, est via; volumus discere, est magister; volumus habere pacem, est mediator et propitiator et advocatus; volumus habere socium, est frater; volumus edere, est cibus; volumus esse extra tenebras, est lux; volumus vestiri, est indumentum; volumus regi et pasci, est pastor; volumus desponsari, ipse esse vult sponsus et est amabilis nimis; unde Apostolus (1 Cor. 16, 22): *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, anathema sit.* O felices nos, si oculis interioribus *videamus hoc verbum, quod* fecit *Dominus* mirabiliter et *ostendit nobis* (Luc. 2, 15) et per veritatem fidei catholicæ quotidie manifestat, et demus Christo cor, et amemus illum solum!

4. De nomine Jesu.

I. Laudatur primus parens Adam, quod in statu innocentiæ positus ex magna sapientia intellexerit naturas et proprietates omnium animantium, et ita potuerit omnibus et singulis nomina propria imponere in hebraica lingua; quod postea nullus alius facere potuit, quia per peccatum Adæ privati sumus plena illa cognitione, ut neque nos, neque alia naturalia et eorum differentias cognoscamus, sicut boni et mali angeli ea cognoscunt. Sed multo magis laudandus est Deus, qui in sua sapientia creavit omnia et creata suis nominibus vocare potest. Unde David de eo ait: *Qui numerat multitudinem stellarum et omnibus eis nomina vocat* (Ps. 146, 4); et Paulus: *Vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt* (Rom. 4, 17). Laudandus, inquam, Deus, cujus mirabilis providentia non solum in rebus, sed et in nominibus rerum apparet, quæ ipse imponit; id enim facit cum effectu, ut nomen ipsum rei congruat, et opus per ipsum nomen designatum sequatur. Sic vocavit Deus Abraham: *Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te* (Gen. 17, 5); et fecit eum patrem multarum gentium. Sic et voluit præcursorem Domini vocari Joannem et magnam illi simul gratiam præbuit. Sic et vocavit Simonem, filium Jona, Petrum et fecit eum petram aptam ad sustentandam Ecclesiam. Non enim fallit, nec fallitur Deus, ut homines, qui sæpe habent et

imponunt aliis præclara nomina sine re et veritate, immo plurimi sub sancti nominis umbra magnam ferunt malitiam. Unde et Christus: *Multi venient in nomine meo, dicentes: ego sum Christus, et multos seducent* (Matth. 24, 5). Nihil ergo mirum, quod Deus etiam nomen Jesu imposuerit, quod est nomen super omne nomen, ab æterno prædestinatum et in consistorio Sanctissimæ Trinitatis datum et a Patre singulariter Filio impositum, juxta illud Isaiæ (62, 2): *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini vocabit.* Hoc nomen debuit e cœlo adferri in terras et per Angelum revelari primo Sanctissimæ Virgini: *Vocabis nomen ejus Jesum* (Luc. 1, 31), et deinde Joseph in somnis: *Vocabis nomen ejus Jesum* (Matth. 1, 21). Unde significanter dicit Lucas (2, 21): *Vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur.* Prædictum fuit hoc nomen a prophetis, ut Isaia (45, 8): *Rorate cœli desuper et nubes pluant justum, aperiatur terra et germinet Salvatorem*; ubi ponit *Jesuah*; Habacuc (3, 18): *Ego autem in Domino gaudebo et exultabo in Deo, Jesu meo.* Immo apud ethnicos revelavit hoc nomen Deus Sybillæ Erythraeæ, tempore Ezechiæ vaticinanti, quæ in suo carmine expresse scripsit, quod Jesus Christus, Dei Filius, esset Salvator. Apud Judæos Rabbinus Harradas de illo scripsit ad Antonium, consulem Romanum, hoc modo: *Quia Messias homines salvabit, vocabitur Jesuah.*

Licet multa sint et præclara Dei nomina in Scripturis, quia vocatur Adonai, sanctus, justus, omnipotens, Deus, fortis, rex gloriæ, Dominus potens : nullum tamen invenitur, quod rectius conveniat personæ Christi et ejus proprietatem melius declaret. Fuerunt quidem in Veteri Testamento nonnulli hoc nomine nuncupati, ut Josue ducens populum in terram promissionis, et sacerdos quidam Josue, filius Josedec, qui cum Zorobabel reduxit populum ex Babylone, et Jesus, Sirach filius, qui Ecclesiasticum scripsit, aliique plures, boni et mali. Sed hoc tamen nomen nulli alii, nisi Christo, convenire potest secundum Angeli interpretationem : *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum* (Matth. 1, 21). Hoc nomen ergo signat principem populi, perfecte salvantem a peccatis præteritis, præsentibus et futuris, in corpore et anima, ac proin Deum, quia id fieri non potest nisi ab eo, qui sit plus quam homo, immo qui sit Deus. Solus enim Deus salvat et salvare potest a peccatis ; unde dicit : *Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas* (Is. 43, 25). Propria Christi virtus est et præcipuum officium, habere populum, non alienum, sed suum, et redimere illum ab omni iniquitate, quoad culpam et pœnam, remittere debita contracta, propter quæ iram Dei merentur, et radicem ipsam malorum, peccatum, tollere, peccatores Deo reconciliare, justificatos, ne in peccatum relabantur, per gratiam confirmare, quotidie per sanctissima sacramenta mundare ac sanare, postea vero omne regnum peccati in eis abolere et

perpetua justitia suos electos exornare, ut populus sit sanctus et sponsa ornata, ut neque peccent, neque peccare possint, ex parte corporis et animæ perfecte justi, sancti et immaculati; et hoc modo vult et potest salvare suum populum. Nonne merito ergo dicitur Jesus, quia nullus princeps sic liberavit populum ab inimicis et majorem libertatem subditis dedit ac tantum beneficium attulit, magisque inimicos contrivit et totum genus humanum sic exaltavit et honoravit? Solus Christus salvat, sicut promisit Angelus; unde et ipse verus Emmanuel, et nullus debet desperare, quia Jesus perpetua nostra consolatio.

II. De usu nominis Jesu.

Unde facile colligi potest, cur ex reverentia et amore Joannes sæpius et alii Evangelistæ hoc nomen Jesu ponant in Evangelio suo, sicut et Sanctus Paulus saltem quingenties hoc scripsit in epistolis; Sancta Ecclesia semper habuit et habet semper hoc nomen in magna veneratione, neque ullam concludit orationem in Missa, nisi hoc nomine expresse addito. Jubet etiam, ut omnes Christi fideles, hoc nomen proferri audientes in templo, signum exhibeant reverentiæ interioris. Nec potest reprehendi, quod ab antiquo hoc nomen aureis litteris scribatur et in charta circumferatur, si fiat ex devotione et in honorem illius personæ, quæ est Salvator mundi, de quo Petrus inquit: *Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (Act. 4, 12). Est et festum institutum de hoc nomine, quo sancti consolantur (est

enim melos in aure, mel in ore, jubilus in corde, Bern.), quo dæmones terrentur, Angeli recreantur, peccatores convertuntur, cæci illuminantur. Sensit hoc nomen Joannes: *Veni, Domine Jesu* (Apoc. 22, 20); sensit Stephanus, Paulus, Ignatius martyr. Hoc nomen debet a nobis honorari, amari, laudari, prædicari; quomodo autem maxime id potest et debet fieri?

1. Per cordis meditationem circa personam, verba, spiritum Jesu, si hoc nomen quisque cordi sic habeat infixum, ut sæpe de vita et passione Domini meditetur, et cum Magdalena verbum Christi conservet Christumque amicum et sponsum intime amet, et suam voluntatem cum Corde Jesu uniat.

2. Ore, si sæpe Christum quis invocet, cum Joanne dicens: *Veni, Domine Jesu* (Apoc. 22, 20), et cum Stephano: *Domine Jesu, suscipe spiritum meum* (Act. 7, 58), et cum David et Job: *Sit nomen Domini benedictum* (Job. 1, 21. Ps. 112, 2).

3. Opere, si ad Christi gloriam instituat omnem vitam, et præcipue in principio et fine operum suorum, juxta illud: *Sive manducatis, sive bibitis vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite* (1 Cor. 10, 31).

An fideles possint ab hoc nomine appellari?

In Ecclesia primitiva, qui credebant Evangelio ab Apostolis prædicato, primum dicebantur discipuli, et Antiochiæ dicti primum christiani, teste Luca, quia a Christo, summo sacerdote, uncti, ut sint reges et sacerdotes spirituales. De nullo vero legimus, quod in Novo Testamento ausus fuerit se Jesum vocare et hoc

sanctum nomen sibi arrogare. Cur igitur quidam se Jesuitas appellant? In christianitate non scio ullos, qui hoc nomen sibi tribuant. Quod autem ad nostros attinet, non possumus obturare hominibus os, quin nos suo arbitratu appellent, sicut velint, sive laudent, sive vituperent, sive bona sive mala intentione. Boni debent esse certi, quod nostri numquam hoc nomen sibi imposuerint, neque id sibi tribui cupiant a quopiam. Quod autem de Societate Jesu dicamur, nullus prudens potest et debet ægre ferre, quum et aliæ multæ reperiantur societates ejusmodi religiosæ, quæ vocantur a Trinitate, a Christo, a Spiritu Sancto, præsertim in Hispania et Italia; non est ergo hoc novum et suspectum habendum. Libenter accipimus hoc nomen, quo Christi fideles omnes gloriari possunt, quia omnes Ecclesiæ filii sunt de societate Jesu. Unde de illis dicit Paulus: *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii ejus Jesu Christi, Domini nostri* (1 Cor. 1, 9); et Joannes: *Societas nostra sit cum Patre et cum Filio ejus Jesu Christo* (1 Joan. 1, 3). Unde quilibet videt, quod ipsa Scriptura declarat, hoc nostrum nomen esse commune omnium aliorum, qui christiani vocantur. Cur igitur hoc nomen nobis proprium facimus? Quia sic placuit Pontifici regenti Ecclesiam et Concilio Tridentino, ut hæc Societas ab aliis ordinibus dignosceretur et ut in sua vocatione magis confirmaretur; ut ex hoc nomine nostri magis se ipsos moneant officii sui, ne nomen Domini propter illos blasphemetur, sed honoretur et sanctifi-

cetur ; ut sæpius cogitent de suo principe et magistro, cui debeant obedire et servire, nempe Christo, qui factus est nobis via, veritas et vita, et se ipsum nobis exemplum præbuit, ut nos excitemus ad ambulandum in vestigiis ejus ; ut ipsum in castitate, paupertate et obedientia ad mortem usque sequamur, ejus simplicitatem et caritatem imitemur, ejus verbum prædicemus, ejus Ecclesiam defendamus. De quo Paulus dicit : *ut per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem* (Hebr. 12, 1. 2). Si igitur dicunt, nostros ex superbia sibi sumere nomen Societatis Jesu et se præferre aliis omnibus : non intelligunt institutionem Societatis et mentem Pontificis nomen imponentis. Non intelligunt, quare Societas militum Spiritus Sancti a rege Galliæ instituta sit sine præjudicio aliorum militum. Non intelligunt, quid a nobis spectetur. Non propterea negamus, alios esse de societate Jesu, sed non ita obligatos ad nomen Jesu propagandum, ornandum et sanctificandum ubique locorum. Christiani omnes sunt in fide conformes, sed non æque obligati sunt sicut ecclesiastici, neque hi per omnia similes in habitu, in regula et vocatione. Ad nostros pertinet docere pueros, visitare ægrotos, juvare afflictos, sacramenta ministrare, in operibus misericordiæ se exercere etiam apud pauperes, incarceratos, morientes, verbum Dei prædicare, fidem propagare et defendere, paratos esse proficisci, cum jubentur, ad infideles,

omnibus denique statibus inservire. Scimus hæc facientibus a Joanne dictum esse: *Si in luce ambulamus . . . , societatem habemus ad invicem*, et *cum Patre et cum Filio ejus Jesu Christo* (1. Joan. 1, 7. 3). Ita magna nobis præbetur consolatio et confirmatio in hoc sancto statu, quum ex hoc nomine excitemur ad perfectiorem vitam et sanctam patientiam, præsertim in hoc mundo, qui non amat, nec quærit, nisi quæ sua sunt, et sæpe malum pro bono reddit aut hoc in pejus interpretatur. Hinc nos consolatur verbum Christi: *Beati estis, quum maledixerint vobis et persecuti vos fuerint et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me* (Matth. 5, 11). Consolantur nos primi de societate Jesu, de quibus S. Lucas: *Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (Act. 5, 41). Sed non disputemus de nomine, quod non potest justificare nec salvare, sicut nec Evangelium scriptum, sed Jesum induamus, portemus, glorificemus, confiteamur et ornemus intus et foris; alioquin, si confiteamur ore et negemus opere, blasphemabitur hoc nomen.

5. De jejunio quadragesimali.

Tempus monet tractare de jejunio:

I. Quid sit, et quare magni faciendum;

II. Quomodo illo nobis utendum, ut fructum ejus percipiamus.

I. Quadragesima debet nobis esse cara, cum sit

apostolica traditio, in Conciliis recepta, ubique gentium acceptata et semper retenta a catholicis; quia est ordinatio utilis ad faciendam pœnitentiam pro peccatis totius anni; tempus pugnandi cum satana, juxta exemplum Christi illam sanctificantis; quia medicina corporis et animæ; quia est purgatio Ecclesiæ, præparatio ad sanctum lætumque Pascha.

Dico igitur, jejunium non esse tantum abstinentiam externam a cibo et potu. Sic enim jejunaret etiam satan, numquam edens; jejunarent pharisæi et hypocritæ, stricte jejunantes apud Judæos (Matth. 6, 16); jejunarent hæretici Montanistæ; jejunarent milites, coacti ferre inediam multorum dierum, sicut et alii filii sæculi et mendici, non habentes quod edant; jejunarent ægroti, carentes cibi appetitu, vel ebrii post crapulam. Jejunant pii semper a peccatis, sicut et Angeli.... Quid ergo est jejunium? Abstinentia voluntaria, per catholicum facta cum recta fide et intentione, sine hypocrisi et ostentatione, et simplici oculo, sive fiat propter præceptum Ecclesiæ vel Superiorum, sive sponte ad mala quædam fugienda vel ad gratiam impetrandam vel ob bonam consuetudinem, ut Judæi abstinebant ab esu porcinæ carnis et Rechabitæ a vino.

Cur jejunium magni faciendum et retinendum, præsertim hodie?

Magna et laudabilis res jejunium. Docet de illo Christus, sicut de oratione et eleemosyna. Est magnum decus orationis, sicut in Apostolis (Act. 13, 2. 14, 22). Est thesaurus Patrum, sicut videmus in Moyse, Elia,

David, Joanne et Christo ipso. Pretiosum insigne Ecclesiæ, ab initio instituentis et servantis Quadragesimam, sicut et prædicarunt Samuel, Josaphat, Joel, Zacharias. Est armatura fortis contra dæmonem (Matth. 17, 20). Medicina est peccatoris, volentis Deo reconciliari, sicut in Ninivitis, et a pœnis meritis liberari. Est præparatio ad gratiam Spiritus Sancti, sicut in Apostolis. Sine jejunio non potuit Moyses Deo esse familiaris, non Elias in cœlum curru vehi, non Daniel illuminari, non Joannes fieri præcursor et Baptista, non voluit Christus ordiri prædicationem, non potuit Paulus ordiri conversionem gentium, non potuerunt Apostoli ordinare.

Dein jejunium magni faciendum est, quia res est valde odiosa dæmonibus, qui contra jejunium primos parentes in paradiso et Christum ipsum in deserto tentarunt et adhuc hodie multos tentant. Nullum est opus bonum tantopere oppugnatum ab hostibus Ecclesiæ, aperte negantibus jejunii necessitatem, præceptum, meritum, delectum ciborum; hinc tot Aeriani et abrogatores Quadragesimæ.

Peccant quoque catholici, parum observantes jejunium ab Ecclesia et majoribus præceptum, multoque minus sponte illud suscipiunt; non distinguunt inter sobrietatem et jejunium, immo utrumque violant; ex multis pauci curant suo tempore jejunare juxta mentem Ecclesiæ, sed omnes excusant se, sicut illi ad cœnam invitati; immo malunt ex crapula et ebrietate corpus et vitam perdere, quam ullum locum dare jeju-

nio et abstinentiæ. Numquam pauciores fuerunt jejunatores in clero et populo, numquam plures ventrem pro Deo colentes et magis offendentes alios simplices. Numquam habuerunt homines minorem contritionem minusque confessi sunt et satisfecerunt propter violationem jejunii. Numquam longius recesserunt a vestigiis patrum stricte jejunantium, præsertim ante Pascha, Epiphanio teste. Unde tam pauci clerici casti, honesti et vere spirituales. Vivunt homines sicut in diebus Noe, edentes et bibentes usque ad diluvium; animales et carnales sunt ubique et pauci spirituales, qui gloriari possint de jejuniis et castigent corpora sua. Religiosus se nunc ostendat obedientem Ecclesiæ; repetat promissa Dei; caritatem exerceat; justitiam servet in judicando et puniendo seipso, quia corpus habet ut servum rebellem, ut pigrum asinum, ut hostem domesticum; caveat sibi ab impedimentis abstinentiæ et tentationibus circa victum, adhibeatque medicinam Patris Ignatii.

II. Quomodo nos circa jejunium gerere debemus?

1. Tempus hoc acceptare ut Dei ordinationem, exigentis conversionem interiorem et exteriorem a fidelibus. Idem Deus clamat in Ecclesia, quod per Joël clamavit: *Convertimini;* clamat per Apostolos, auctores Quadragesimæ, in Conciliis œcumenicis, per Patres jejunium laudantes, per populos acceptantes ubique gentium, per majores nostros stricte jejunantes usque ad vesperam, cum abstinentia vini et carnis et lactis, cum cilicio, precibus, pœnitentia publica, vigiliis.

2. Imitandus nobis Moyses, qui non solum pro se, sed etiam pro populo carnali et rebelli valdeque lascivo jejunavit quadraginta diebus. Cum Paulo debemus deflere inimicos crucis Christi tam multos, qui ex christiana libertate faciunt carnalem licentiam, contemnentes Deum in Ecclesia et Superioribus. Qui enim eos spernit, non hominem, sed Deum spernit ipsum. Cum eodem Paulo dicere debemus : *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia* (Col. 1, 24). Sicut igitur bonum est pro peccatoribus orare, sic etiam jejunare. Non jejunantes Apostoli frustra laborarunt ad expellendum dæmonem ex homine obsesso (Matth. 17, 18). Jejunium a Deo præcipitur (Joël 1, 14); habet promissionem Christi; habet exemplum Christi, qui jejunium sanctificavit et docuit ita suos post baptismum pugnare cum dæmone et vincere illius tentationes circa mundum et carnem ; habet confirmationem in prophetis et Apostolis et sanctis omnibus libenter jejunantibus, præsertim si res magnas aggrediuntur; est opus obedientiæ, non solum Ecclesiæ, sed et Deo debitæ; est opus caritatis, ut et pro aliis corpus maceremus, et est opus justitiæ, ut offeramus corpora nostra et puniamus nos operibus pœnitentiæ.

3. Debet quisque dolere, quod cum Paulo non possit gloriari de multis jejuniis, immo nec veram artem habeat discrete manducandi et bibendi, sed quod sæpe circa cibum et potum delinquat, ut neque jejunii, neque temperantiæ et sobrietatis mensuram debitam

habeat. Et hæc sollicitudo est Sanctorum, ut bene observent præceptum Christi: *Attendite vobis, ne graventur corda vestra in crapula.* Hinc se accusat Augustinus, cupiens ire ad alimentum sicut ad medicamentum. Hinc opus habemus oratione ante et post sumptum cibum, ut gratiam discretionis a Deo impetremus. Multiplex enim tentatio hic se nobis frequenter offert, quod sine timore ad mensam venimus, neque in examine præcedenti nos præparamus contra gulam. Non mentem tenemus in mensa elevatam, nec attendimus lectioni, non Christum præsentem et cum discipulis accumbentem intuemur. Non recordamur de providentia, bonitate Dei, nos tam laute pascentis plus, quam meremur. Non cogitamus de aliis indigentibus et carentibus pane, licet non sint ad paupertatem obligati, sed sæculares, qui et minus habent ciborum et strictius sæpe jejunant et Deo sunt gratiores. Magna est tentatio impatientiæ et murmurationis contra Superiorem et coquum, si nobis non datur, quantum appetitus requirit; murmuramus aliquoties sicut Judæi in deserto et curam habemus corporis ut ethnici, dicentes: *Quid manducabimus? quid bibemus* (Matth. 6, 31)? promissæ paupertatis obliti, et non abnegamus nos ipsos, sed patrocinamur nostræ sensualitati. Non vincimus nos ipsos, sed vincimur sicut servi concupiscentiæ, non cogitantes illud: *Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia* (2 Cor. 6, 4); *qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt* (Gal. 5, 24).

6. De pie recogitanda et recolenda passione Domini.

Nolo me excusare, quod exhortationem facturus veniam, quia scitis, quantam reverentiam debeamus Superiori, nostram operam petenti vel aliquid committenti. Quid vero in hac exhortatione tractandum? Proposui mihi loqui de passione Christi, quum cras in vesperis incipiat Ecclesia serio se convertere ad hoc mysterium, sequens dominica nomen habeat a passione, vexilla sanguinea Regis proponantur. Nullum est tempus toto anno, quo plura leguntur, cantantur et repræsentantur nobis in Ecclesia de passione Domini, quam sequentibus quatuordecim diebus. Constat, hodie Lazarum resuscitatum, cras consilium Hierosolymis habitum et de morte Domini in eo conclusum fuisse ac Judæos maxime de perdendo Domino et fundendo ejus sanguine laborasse, qui propterea non palam ambulabat apud Judæos, sed abiit in regionem juxta desertum in Ephrem, et ibi morabatur cum discipulis suis (Joan. 11, 54). Spero igitur, nullum in malam partem accepturum, quod tractem de hac materia. Nullus tam crassus sæcularis, qui non cordi habeat passionem Domini hocce tempore. Et dicam:

I. Cur bonum, utile et consultum sit, de illa cogitare, loqui et tractare;

II. Quomodo circa illam recte versari possimus hoc tempore.

I. Fatendum est, historiam passionis Christi esse

super omnes historias habendam maximamque et optimam Evangelii partem, quæ præcipuam consolationem afferat miseris et afflictis peccatoribus. Hoc summum opus Dei, volentis monstrare suam justitiam in puniendo peccato, suam sapientiam in dæmone confundendo, suam caritatem in homine redimendo, justificando, salvando. Hoc clarum speculum, in quo cernuntur heroicæ Christi virtutes : patientia, humilitas, obedientia, caritas, generositas, magis quam usquam alibi. Unde Paulus : *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum et hunc crucifixum* (1 Cor. 2, 2). Hæc nostra sublimior scientia. Inter omnia mysteria hoc est occultum et sublime, a sæculo incognitum, mundi sapientibus absconditum, Judæis scandalum, gentibus stultitia, non ferentibus verbum et prædicationem crucis, sicut et Apostoli primum non intellexerunt (Luc. 18, 34).

Vultis scire quanti nostra referat cognoscere, ponderare et magnificere crucem et passionem Domini? *Justificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Jesu* (Rom. 3, 24). *Factus est nobis sapientia a Deo et justitia et sanctificatio et redemptio* (1 Cor. 1, 30). Sine passione Domini nihil valerent sacramenta, quæ ex Christi latere fluxerunt; nulla remitterentur peccata sine agno illo; nullus vincere posset mundi principem a novo Davide prostratum ; mors et infernus nobis dominarentur, si sanguis Domini non lavaret nos; opera nostra et merita in vanum fierent, quia super arenam et non petram

extrueremus. Summa: si Filius nos liberaverit, vere liberi erimus ab ira Dei, lege peccati ac impedimentis omnibus nostræ salutis. *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Si granum frumenti mortuum fuerit, multum fructum affert* (Joan. 12, 32. 25). Unde nullum fidei mysterium in lege tot figuris præmonstratum et adumbratum fuit, velut per occisum Abel ex invidia, per Noe suos conservantem in ligno, per unigenitum Isaac a patre in monte oblatum et obedientem, portantem ligna super humeros, per æneum serpentem erectum in deserto, per Moysen orantem cum extensis brachiis contra Amalecitas, per Jonam in mare præcipitatum, ut cessaret tempestas et socii non perirent. Nec ullum est beneficium nobis a Christo collatum, quod requirat fideliorem memoriam, majorem amorem et gratitudinem fidelium, nullum potentius ad vim satanæ frangendam et utilius ad gratiam omnem impetrandam, propter quod et Christus suum instituit et celebrari voluit novæ legis sacrificium, sicut et fieri solet.

II. Quomodo circa passionem Domini nos geremus cum fructu hoc tempore?

Dicet aliquis: Ego his diebus legam sæpius passionem Domini, cursum de sancta cruce, alias fundam preces de passione, honorabo vulnera sancta vel septem effusiones sanguinis Christi vel viam crucis.

Alius forte dicet: non solum ego aliquid peculiariter in honorem Domini patientis precabor, sed et meditabor per partes præcipuos articulos passionis.

incipiendo ab horto, visitabo domum Annæ, Caiphæ, Herodis, Pilati ac Calvariæ montem, ubi cum Maria stabo sub cruce, flebo cum Magdalena, sepeliam cum Joseph et Nicodemo Dominum, vel meditabor laboriosos transitus Domini in passione factos vel septem verba Domini in cruce prolata et vulnus lateris ejus, urgebo autem maxime colloquia in meditatione, sicut liber exercitiorum præscribit. Hæc omnia bona et laudabilia, bonum præsertim meditari passionem Domini; inveniemus in ea medicinam efficacissimam ad peccatorum vulnera sananda, librum vitæ ad discendam omnem sapientiam, scholam omnium virtutum et exemplar, fontem aquæ vivæ, fontem omnium affectuum, doloris, fiduciæ, amoris, zeli etc., fontem omnium gratiarum. Utilis hæc meditatio omnibus incipientibus, proficientibus et perfectis.

Dicet alius: non solum meditabor, sed et in pœnitentiæ operibus me solito diligentius exercebo veramque compassionem opere declarabo, ut et carni et sensualitati meæ detraham aliquid, ne sim sub spinoso capite membrum delicatum. Si enim compatimur, et conglorificabimur. *Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu* (Phil. 2, 5). Hinc scribit Epiphanius de magno rigore veterum christianorum, siccis cibis utentium, humi cubantium, arctius jejunantium et majus silentium observantium, juxta illud: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt* (Gal. 5, 24); *mundus gaudebit, vos vero contristabimini* (Joan. 16, 20). Inveniuntur adhuc in pane et aqua viventes, cilicia

portantes, extensis brachiis vel super faciem orantes, xenodochia visitantes, Jesum in pauperibus consolantes. Nec dubium, hæc tanto magis placere Deo et Angelis hominibusque magis esse meritoria, quanto puriore animo et devotione spiritus majore fiunt, ex vero amore Christi passi et mortui et ex ardentiore zelo puniendi in nobis peccata, quæ Christum innocentissimum ligarunt, flagellarunt, crucifixerunt, immo et occiderunt. Certe si unquam laudabilis est mortificatio et abnegatio veteris hominis, nunc maxime, cum quilibet sibi a Christo dictum esse putare debet: *Servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus* (Is. 43, 24).

Ego vero relinquo liberum cuique id facere, quod permissu Superioris vel confessarii putaverit in Domino sibi assumendum et perferendum. Fortasse non esset inutile, si proponeremus quotidie nobis Christum ita dicentem et hortantem: *Ecce ascendimus Hierosolymam et filius hominis tradetur* (Luc. 18, 31); si responderemus cum Thoma: *Eamus et nos et moriamur cum illo* (Joan. 11, 16); si ad nos referremus sententiam: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum,* (id est, veterem hominem exuat, propriam voluntatem frangat, voluptati et sensualitati locum adimat), *tollat crucem suam* (id est, obedientiæ jugum post Christum patienter ferat in omnibus) *et sequatur me* in præcipuis virtutibus: patientia, humilitate, caritate. Præcipue autem requirit hoc tempus, ut suppleamus negligentiam nostram, quod non sæpius et

devotius et fructuosius honoremus passionem Domini per annum, negligentes thesaurum in meditatione passionis latentem et efficacissimam medicinam ad animam nostram, variis infirmitatibus laborantem, purgandam, sanandam, confortandam, illuminandam, calefaciendam et inflammandam; non enim scimus recogitare, quæ Christus intus et foris passus sit pro nobis; non scimus nidificare in foraminibus petræ, et hinc neque haurimus aquas ex fontibus Salvatoris. Quoties enim communicamus sine ardenti meditatione passionis? quoties obliviscimur Christi crucifixi in missæ sacrificio, in feriis sextis privilegiatis, in imagine crucifixi. Felix, qui habet memoriam ad recolendum, intellectum ad cognoscendum, et cor ad amandum Jesum et hunc crucifixum.

7. De Paschate.

Nullum anni tempus, in quo minus jejunetur, brevius oretur, sæpius repetatur alleluia. *Hæc dies, quam fecit Dominus. In resurrectione tua cœlum et terra lætentur.* Durat paschalis hæc lætitia quadraginta dies. Quæro, ex qua causa? Quia Christus, post passionem acerbam resurgens, jussit: *Congratulamini mihi,* et ostendit se Salvatorem nostrum in anima et corpore. Lavit enim animas nostras et, si resurrexit ipse corpore, etiam nos resurgenti similes futuri sumus. Nonne igitur dignum et justum est, ut læta sit materia, de qua tractemus in hac exhortatione? Dicam ergo

de lætis, quæ nos et fideles omnes recreent OB FUTURAM RESURRECTIONEM, quæ in nobis etiam implebitur, sicut in Christo capite fuit impleta. Si enim Christus resurrexit, et nos resurgemus. Hoc enim est, quod Christus promeruit et promisit: *Pater, quos dedisti mihi, volo ut, ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant caritatem meam, quam dedisti mihi* (Joan. 17, 24). Deinde adjungam, quomodo uti debeamus FIDE ET SPE HUJUS RESURRECTIONIS.

I. Magna est nobis ratio sæpe in anno, sed nunc maxime, Christo gratias agendi, quod non solum pro anima hominis, sed et pro corpore salvando se tam fidum præstiterit, ut esset in corpore simul et anima perfectus Redemptor mortalium. Quo calamitosior est status in hac valle miseriarum, eo magis consolari nos debet tempus futuræ resurrectionis. Primus homo causam dedit omnibus moriendi; per unum hominem peccatum et per hoc mors venit in mundum; hic *vanitas vanitatum et omnia vanitas;* nihil durabile; *homo repletur multis miseriis et numquam in eodem statu permanet* (Job 14, 1. 2). Novus autem Adam omnibus dedit causam resurgendi, et *sicut omnes in Adam moriuntur, sic et in Christo omnes vivificabuntur* (1. Cor. 15, 22). In ista vita nova finem accipiet mors, tentatio dæmonis, malitia mundi et omnis iniquitas; erit cœlum novum, terra nova, nova sancta civitas Hierusalem, sicut sponsa ornata viro suo. *Ecce nova facio omnia* (Apoc. 21, 5). Sicut morte nihil terribilius, quod noverunt et ethnici: ita nihil lætius

et felicius electorum resurrectione, ad quam concurrent et angeli, tuba cantaturi et malos de medio justorum separaturi. Tunc perfecta erit nobis victoria contra mortem, dæmonem et infernum. Tunc Christus dotes quatuor distribuet inter electos, ut unusquisque habeat corpus clarum sicut sol, impassibile sicut Christus, subtile et agile sicut angeli. Circa hanc resurrectionem considerandum videtur, quomodo nempe circa illam se habeant Sancti in cœlo versantes. *Ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri* (Rom. 8, 23). Sancti tanto magis expectant et desiderant futuram carnis resurrectionem, quo certius et clarius vident Christi humanitatem in cœlo fulgentem, et quo majorem capiunt lætitiam ex conspectu corporis Christi gloriosi. Vident regem Salomonem in decore suo, sancta ejus vulnera et perfectissimam, sanctissimam carnem sui Mediatoris et Redemptoris. Tanto magis cupiunt huic glorioso corpori conformari, quia sciunt, scriptum esse : *Quum apparuerit, similes ei erimus* (1. Joan. 3, 2). Sciunt, quia *reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ*. Petunt igitur et rogant, cito venire ultimum judicii diem, ut supervestiantur corporibus, et gaudium ipsorum plenum sit, sicut et *omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc* (Rom. 8, 22).

Quod ad Sanctos ipsos in resurrectione præsentes attinet, non eamdem illi lætitiam habebunt. *Sicut stella differt a stella in claritate, sic erit resurrectio* justo-

rum (1. Cor. 15, 41). Fulgebunt imprimis præ aliis sancti martyres et tenebunt palmas in manibus suis, amicti stolis albis, ornati purpura et corona, retenturi cicatrices sine deformitate, quia se perfecte vicerunt et sanguinem suum effuderunt. Fulgebunt, *qui alios erudiunt ad justitiam, sicut splendor firmamenti in perpetuas æternitates* (Dan. 12, 3). Habebunt aureolam virgines tanquam Christi sponsæ et cantabunt canticum novum et sequentur agnum quocumque ierit.

Quomodo fulgebunt obedientes, qui propriam voluntatem ad plenum obtulerunt et numquam abstulerunt Deo et ita perfecte Christum secuti sunt, qui, seipsum humilians, factus est obediens usque ad mortem! Quod ad credentes attinet, certum est, eos tanto magis tunc gavisuros esse, quanto nunc magis passionibus Christi configurantur. *Sicut enim socii passionum estis, sic eritis et consolationis* (2. Cor. 1, 7). Exemplum habemus in Mariis afflictis propter passionem Christi, quas Christus ante Apostolos statim post resurrectionem voluit perfundi consolatione, præcipue Matrem suam, cui primum creditur apparuisse. *Ego diligentes me diligo* (Prov. 8, 17). *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam* (Ps. 93, 17).

Resurrectionem futuram magnificare debemus, tam caro Christi pretio comparatam, a patribus desideratam, non sine Angelis procurandam, quia per illam perfecte vincimus hostes, et Sancti hac spe consolantur in tribulatione et morte præsenti, sicut Job (19, 25).

II. Quomodo utemur fide hujus resurrectionis?

1. Ut, cum Christi resurrectionem usque ad Pentecosten meditamur, nostræ quoque non obliviscamur, sed sæpe illam in mentem revocemus. Talis enim meditatio recte facta sanctificat animam et corpus et præparat hominem ad futuram gloriam dignius percipiendam.

2. Hinc excitamur ad gratias agendas Christo, qui, *perfectus hominis redemptor factus*, non contentus fuit animas nostras lavare a peccatis in sanguine suo et facere filios Dei ex filiis gehennæ, sed etiam Redemptor esse voluit nostri corporis, quantumvis terreni, corruptibilis et in cinerem redigendi. Unde dicit: *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei* (Joan. 5, 28). O magna gratia, quod Dominus vult servos mortuos et corruptos ad vitam tam gloriosam resuscitare et perpetuo secum habere in regno suo cum omnibus membris corporis, ut neque capilli desint!

3. Hinc habemus ansam aliquam nos colligendi et meditandi in horto. Nihil in eo videmus, quod contristet. Tunc autem erit nostra æstas, fulgebit sol plene, prodibunt odoriferi flores et fructus. Tunc videbunt oculi tantum pulchra et delectantia. Aures audient dulce melos. Tunc æstas durabit sine hieme, gaudium sine luctu, sanitas sine infirmitate, dies sine nocte, juventus sine senectute, pax sine perturbatione, vita sine morte, gaudium sine tristitia, amicus sine inimico.

4. Hæc resurrectio nos admonet, quanti facere debeamus hoc corpus, quod sibi Christus delegit vestiendum et ornandum gloria immortali, corpus nostrum, templum Spiritus Sancti. Vult huic corpori tam liberaliter publice coram mundo præmium reddere pro cunctis in illo gestis ac toleratis. Reddet unicuique propria corporis sui, præcipue pro operibus ex caritate factis vel ex obedientia institutis. Tanto magis pulchrum erit corpus ibi, quanto magis in pœnitentia fuerit afflictum, in puritate custoditum, in abstinentia et modestia exercitatum. *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent* (Ps. 125, 6). Nonne igitur male sapiunt in labore pigri, in corpore domando remissiores et in illo regendo negligentes? Nonne Paulus dixit: *Nescitis, quia membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est* (1. Cor. 6, 19)? Hoc templum nobis commendatum honeste servandum et sanctificandum est; eo magis a Christo decorabitur, quo nunc magis sibi et mundo mortuum magisque Deo unitum per caritatem. Unde Paulus etiam præcipit, ut corpora offeramus Deo sicut hostiam vivam, sanctam, Deo placentem (Rom. 12, 1). Item: *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram* (Col. 3, 5).

5. Monet nos futura resurrectio, ut sæpe oremus Deum pro felici morte subeunda, quia in ultimo die tales resurgemus, quales ex hac vita migramus, sive in gratia, sive in peccato moriamur. Tunc manet arbor, ubi ceciderit, ideoque Christus toties jubet nos vigilare, quia *nescitis, quando filius hominis veniet*

(Matth. 24, 44). Si dormimus mortis tempore, salvi esse non possumus in die judicii, nisi per ignem gravissimum purgatorii transeuntes, non inde liberandi, nisi ultimum quadrantem exsolverimus. Unde Joannes : *Beatus, qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, et ne videant homines turpitudinem ejus* (Apoc. 16, 5).

8. De signis hominis spiritualis.

(Tempore Paschatis.)

Christus Dominus non solum in carne sua mortua resurrexit, sed et resurrectionem suam mirabilem sæpe voluit suis discipulis manifestare, et hoc per quadraginta dies. Præsens Evangelium narrat duas ejus apparitiones factas. Prior facta est in Emmaus duobus discipulis, ubi Christus in forma peregrini ambulavit cum eis in via et in mensa tandem se illis præbuit cognoscendum. Altera Petro facta, licet de loco non constet; unde duo discipuli, cum ex Emmaus rediissent Hierusalem et invenissent congregatos undecim, audierunt ab illis : *Surrexit Dominus vere et apparuit Simoni*. Quis dubitet, Petrum dulcia verba tunc a Christo percepisse, ut consolationem in summo luctu acciperet, eumdem se humiliasse et rogasse veniam negationis, amoris et gaudii profudisse lacrymas ob acceptam peccati remissionem, in vera fide et caritate valde confirmatum fuisse. Nos multum sane debemus Christo, qui post resurrectionem suam toties apparuit

discipulis et per eosdem nos, qui non vidimus, in fide confirmavit, ita ut de hoc articulo certi facti simus, in quo præcipua pars fidei est sita, et sine quo Evangelii prædicatio et tota Scriptura foret inutilis et vana. Nisi enim certo credamus de Christi resurrectione et gloria, quomodo remitterentur nobis peccata, et pœnitentia aliaque sacramenta valerent? et quomodo veram pacem et reconciliationem cum Deo haberemus? quomodo in vita et morte confideremus de gratia et gloria nobis danda? Hinc Ecclesia per hanc hebdomadam sic Evangelia distribuit, ut quotidie in cultu divino propria quædam Christi apparitio et resurrectionis ejus manifestatio cantetur et proponatur. Circa hoc Evangelium nihil melius et brevius tractare possum, quam ut ostendam vera signa hominis spiritualis et veri Christi discipuli.

1. Primum signum est audire verbum Dei libenter, patienter et devote, illique arguenti cedere, non contradicere spiritui in illo loquenti et dicenti, id est, audire verbum, non solum ad consolationem capiendam, sed et ad vitam emendandam, ita ut etiam in illo, tanquam in speculo, suos defectus videat et notet quisque, eosque ab aliis notari et argui libenter sinat. Ita enim faciebant hi duo discipuli, dure a Christo reprehensi, licet non valde peccassent, et nihil idcirco offenduntur aut murmurant, sed cedunt bonæ admonitioni. *Qui ex Deo est, verba Dei audit* (Joan. 8, 47) patienter, obedienter, desideranter, sicut Magdalena (Luc. 10, 39). Malum signum est audire tantum ex parte et

solum ad consolationem, nolle corripi, terreri, humiliari, non se totum illi permittere.

2. Secundum signum est in rebus fidei excludere animi dubitationem et curiositatem, et firmiter, etsi omnia non intelligamus, amplecti et retinere, quæ ad veram et indubitatam fidem pertinent. Nam in fide dubitare est in via Dei claudicare et ansam præbere multis erroribus falsisque opinionibus, quæ ex curiositate et ex dubitatione periculose nascuntur, præsertim hoc tempore, quo multi tam temere credunt, loquuntur et disputant de religione seque judices faciunt fidei, nec volunt esse parvuli in schola Christi, qui merito audiunt sibi dici: »O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus" (Luc. 24, 25)!

3. Tertium signum est verbum Dei et veritatem christianam non solum libenter audire et discere, sed et de illa loqui et cum aliis conferre. Inde enim sequetur, ut ignis divinæ caritatis in nobis incipiat ardere et sermo Dei sit apud nos vivus et efficax, sicut fuit in istis duobus discipulis ita dicentibus: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via et aperiret nobis Scripturas?* Hæc est utilitas in piis colloquiis, quia Christus sese adjungit spiritualiter, et cor frigidum incenditur et purificatur. Malum vero signum est spiritualis ægritudinis et nimii frigoris, et Christum abesse procul, cum delectamur loqui de vanis, et de rebus piis loqui nos pudet, piget et tædet, solumque tractamus de mundanis et vanis negotiis, quasi nullam verborum rationem reddituri, et

quasi frustra moneat Christus (Matth. 12, 35): *Bonus homo de bono thesauro profert bona, et malus homo de malo thesauro profert mala.* Et v. 37 : *Ex verbis enim tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis.* Et Petrus : *Si quis loquitur, quasi sermones Dei* (1. Petr. 4, 11).

4. Quartum signum est cognoscere et acceptare ejus gratiam simul in verbo et sacramento. Sic enim se cognoscendum præbuit Christus discipulis, qui eum apertis oculis cognoscere et per gratiam ejus illuminari non potuerunt, nisi per verbum ejus prius reprehenderentur et per sacramentum Eucharistiæ cibarentur. Accepit enim panem, cum eis recumbens, et benedixit et fregit et porrigebat illis, panem scilicet benedictum et sacramentalem, sicut veteres interpretantur. Hoc enim sacramentum est verum medium et efficax medicina divinitus instituta ad sanandos animæ morbos, ad gratiam omnem impetrandam et confirmandam nostram imbecillitatem inter hostes et pericula quotidiana. Hinc S. Ignatius : *Festinate frequenter ad Eucharistiam et gloriam Dei accedere; quando enim hoc agitur, expellitur potestas dæmonis.*

5. Quintum signum est, ut acceptam Dei gratiam in nobis conservemus et cum timore oremus Deum, ut confirmet in nobis, quod operatus est ; unde post auditam exhortationem et post accepta sacramenta curandum est cuilibet et dicendum : *Mane nobiscum, Domine.* Vult enim gratia bonos habere custodes ; alioquin cito avolat et fugit ab ingratis et negligen-

tibus, ut hinc etiam Christus moneat credentes: *Manete in me et ego in vobis. Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis et fiet vobis* (Joan. 15, 7). Malum vero signum est, cum sumus sicut vasa effluentia, quæ vinum gratiæ non continent. Optimum est enim gratia stabilire cor (Hebr. 13, 9).

6. Signum habitantis gratiæ est post auditum verbum salutis se convertere ad opera caritatis et misericordiæ, sicut Maria post conceptum Filium, et Petrus post Christi doctrinam auditam, et sicut hi duo discipuli, qui, post auditum Christum, invitant eum, immo cogunt ingredi, offerunt panem et potum, hospitium et lectum per noctem. Gratia enim non vult esse otiosa. *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem* (Joan. 13, 35). Malum signum frigere in nobis caritatem, ut verbo tantum diliganus, ut claudamus viscera interiora et non exerceamus manus ad dandum, pedes ad gradiendum, oculos ad videndum pauperes. Usus verbi Dei opere, labore, certamine comprobetur.

9. De Pentecoste.

Hæc tria suppono indubitata: 1. christianos omnes obligari ad festa Ecclesiæ observanda multoque magis religiosos; 2. inter omnia festa, magis observanda, quæ magis solemnia, quia fundata in Veteri et Novo Testamento et inde ab initio a fidelibus semper solem-

nter observata ; 3. Pentecosten esse unum ex hujusmodi principalibus festis totius anni. Pentecoste est proprium festum Spiritus Sancti, quia hodie se orbi manifestavit visibilibus signis et maximis miraculis, quæ facta sunt, cum in Apostolis, primis Evangelii prædicatoribus, tum in primis christianis, et quia per ejus adventum res omnis christiana suum accepit exordium, Ecclesia fundata et lex gratiæ promulgata, juxta illud : *De Sion exibit lex et verbum Domini de Jerusalem* (Is. 2, 3). Dico, hodie præcipue nobis meditandum esse :

I. Quomodo Spiritus Sanctus ad primos discipulos a Trinitate mittatur et a primis fidelibus in Jerusalem accipiatur.

II. Quomodo eadem Trinitas adhuc mittat eumdem Spiritum et nos illum accipere debeamus, quia est festum de missione et acceptione Spiritus Sancti, tertiæ personæ in divinis, omnibus necessariæ, qui a Patre creati et a Filio redempti sunt, ut meritorum Christi et justitiæ christianæ participes fiant.

I. Spiritus Sanctus est et fuit semper fons bonorum et donorum omnium, quæ in ipsis fidelibus inveniuntur. Haud dubie fuit in prophetis et credentibus Veteris Testamenti, sed aliter missus est in Apostolos et primos Christi fideles :

1. Cum visibili externoque signo ignis et linguarum ignearum.

2. Missus patenter, ut etiam cives Hierosolymitani admirarentur et tota domus commoveretur.

3. Missus cum ineffabilibus donis: *repleti sunt* enim *omnes Spiritu Sancto et cœperunt loqui variis linguis* et ab omnibus intelligebantur nationibus.

4. Missus efficaciter, operans in prædicatoribus et auditoribus, non sine multis miraculis passim editis.

5. Missus est ad confirmandos Apostolos in gratia.

6. Missus ad illuminandos et instruendos ignorantes, ad confortandos timidos, ad fundandam et regendam Ecclesiam, ad gentes omnes convertendas.

7. Missus denique, ut faceret Apostolos piscatores hominum et patres omnium fidelium.

II. Spiritus Sanctus hodiedum quidem non amplius mittitur visibiliter, sicut in die Pentecostes missus fuit, nec operatur visibiliter illa mirabilia, quæ fecit in Apostolis; nec enim opus est signis externis, sicut tunc opus erat. Mittitur autem adhuc nunc quotidie et operatur invisibiliter, quæ tunc visibiliter fecit. Spiritus enim Sanctus est, qui quotidie mundat infantes et adultos per lavacrum regenerationis, effundens abunde gratiam, ut sint filii Dei, et cum gratia dona sua, fidem, spem et caritatem communicat; ipse est, qui baptizatos confirmat, ut crescant et confortentur in gratia et libere fidem confiteantur; ipse est, qui per sacramentum ordinis idoneos facit Ecclesiæ ministros; ipse est, qui dissolvit vincula peccatorum, quoties in sacramento confessionis absolvimur a sacerdote; ipse est, qui mittit et docet ministros verbi et per eos nos illuminat, erudit, convertit, accendit; ipse est, qui verbum eorum reddit efficax; ipse est, qui

nos erudit, arguit, solatur in cruce, excitat dormientes, qui adjuvat infirmitatem nostram, qui docet et facit nos orare et impetrare, qui certos nos facit de credendis per matrem Ecclesiam, qui dat nobis caritatem, ut possimus et velimus præcepta Dei servare et obedire; nam sine ejus gratia nemo potest Deum diligere super omnia.

Quæ nos impediunt ad Spiritum Sanctum accipiendum?

Certum est, Spiritum Sanctum libenter venire ad quemlibet dispositum, sed non ad invitum, quia requirit voluntatem et desiderium hominis.

1. Impedit obduratio cordis, qua quis non vult audire Spiritum Sanctum, arguentem et exigentem veram animæ conversionem, et scienter manet in malo statu, in tepore. Hoc est resistere Spiritui Sancto. Oportet autem libenter audire Spiritum Sanctum, non tantum consolantem, sed et redarguentem. Beati, qui sic eum audiunt et compunguntur et convertuntur, quia conversos ungit et consolatur Paraclitus.

2. Impedit nos ignorantia bene tractandi hunc hospitem; negligimus vel male observamus præcipua tempora, quibus nos vult visitare, illuminare, purgare, accendere et in nobis operari, nos confortare. Hæc tempora sunt tempus orationis mentalis et vocalis, tempus examinis, tempus missæ, communionis, tempus exercitiorum. Sed deest nobis viva fides, fervor et spiritus humilitatis et contritionis.

3. Impedit incuria munditiei cordis et conscientiæ, quia non sollicite vitamus parvos defectus et minimas maculas. Spiritus enim Sanctus est amans puritatis et proinde puros et sanctos animos requirit ad inhabitandum. Hæc columba fugit loca sordida et fœtida.

4. Impedit modica cura nostra in fovendis sanctis et piis cogitationibus et desideriis, quibus Spiritus S. vult nutriri cor nostrum, ut majorem habeat causam accendendi in nobis ignem et ardorem caritatis.

5. Impedit effusio ad exteriora, qua fit, ut raro redeamus ad cor et non observemus, quo spiritu agitemur, juxta illud: *Nescitis, cujus spiritus estis* (Luc. 9, 55). Sæpe agitamur spiritu vanitatis, vanæ gloriæ, proprii sensus, impatientiæ, sensualitatis, nec discernimus spiritus, juxta illud: *Nolite omni spiritui credere* (1. Joan. 4, 1). *Quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei* (Rom. 8, 14). Inde fit, ut sæpe multum laboremus, sed nihil apud Deum lucremur, præsertim quia magis ex impetu naturæ, ex consuetudine procedimus, quam ex spiritu devotionis, et in multis nos ipsos quærimus sine pura intentione Deo serviendi et placendi.

6. Impedit defectus caritatis fraternæ. Est enim Deus pacis, unitatis, est ipsa caritas, aversatur dissensiones animorum, contentiones, lites, iram, odium, aversiones et omnia, quæ militant adversus caritatem.

7. Impedit perturbatio animi et cordis. Spiritus enim Sanctus requirit quietum et pacificum animum, quia *in pace factus est locus ejus* (Ps. 75, 3).

8. Impedit defectus sinceritatis et simplicitatis. Spiritus enim Sanctus odit duplicitatem et *disciplinæ effugit fictum* (Sap. 1, 5); amat simplices et innocentes, rectos corde.

9. Impedit pigritia et negligentia recurrendi in nostris necessitatibus ad hunc Spiritum Sanctum, qui est rector Ecclesiæ, pater pauperum, donator munerum, fons omnis gratiæ, qui docet nos orare, adjuvat infirmitatem nostram, qui nos illuminat, dat velle et perficere, infundit gratiam et caritatem, per quam amamus et implemus præcepta, vota, regulas, vincimus repugnantias, tentationes, et æmulamur charismata meliora; non satis invocamus illum in nostris et aliorum necessitatibus, sicut facit Ecclesia, toties inclamans: *Veni Sancte Spiritus*, *Veni Creator Spiritus*. Obliviscimur, quod simus baptizati et confirmati, vocati et electi ad Societatem, tot cumulati donis naturæ et gratiæ, ut simus ejus instrumenta ad procurandam gloriam Dei et salutem animarum, et quod sine ejus auxilio et gratia nihil possimus et cum eo omnia.

Quomodo nos præparare oportet ad accipiendum Spíritum Sanctum?

En Apostoli nobis prælucent exemplo. Quomodo ipsi se præparant?

1. Obedientia erga Christum, qui jusserat illos manere in Jerusalem, donec induerentur virtute ex alto.

2. Separatione a rebus mundi.

3. Caritate et concordia; erant unanimes pariter in uno loco.

4. Oratione; erant perseverantes in orationibus, laudantes et benedicentes Deum.

5. Desideriis ardentibus accipiendi Spiritum Sanctum.

Jam quis non ardenter cupiat Spiritum Sanctum, cujus proprium est parvulos instruere, pauperes ditare, errantes in viam reducere, mœstos consolari, ægrotos sanare, debiles confortare, frigidos accendere igne illuminante, calefaciente, impura et terrena exurente, super se rapiente in sublime et in Deum convertente? Quis non cupiat Spiritum Sanctum, adjuvantem infirmitatem nostram in pugna quotidiana et ungentem gratia sua milites Christi, dantem os et sapientiam ad docendum et erudiendum, cujus dona tam desideranda, cujus fructus sunt: *caritas*, *gaudium*, *pax*, *patientia*, *benignitas*, *bonitas*, *longanimitas*, *mansuetudo*, *fides*, *modestia*, *continentia*, *castitas* (Gal. 5, 22. 23), sed præcipue caritas Dei et proximi?

10. De incomparabili et plane divino dono Eucharistiæ.

Christus Jesus inter alia sacramenta unum præcipuum et sanctissimum, quo nullum majus et melius et nobilius et venerabilius esse potest, in ultima cœna, *in qua nocte tradebatur* (1. Cor. 11, 23), instituit, scilicet Sacramentum corporis et sanguinis sui, cujus institutionis veram et miram historiam non solum Matthæus, sed et Marcus et Lucas, immo et Paulus describunt, ut eo minus de veritate ipsa dubitemus.

Cœna namque facta, accepit panem et vinum, gratias egit, benedixit, verba certa super panem et vinum pronuntiavit, eaque virtute verbi sui in corpus et sanguinem suum convertit et tanquam sacerdos secundum ordinem Melchisedech Patri obtulit ac deinde discipulis sumenda tradidit cum illo præcepto : *Hoc facite in meam commemorationem* (1. Cor. 11, 24). Hoc Sacramentum vocatur cœna Domini, sacramentum altaris, panis vivus de cœlo, communio, eucharistia, viaticum, synaxis, et in eo tria nobis præsignificantur, scilicet præterita Christi passio, præsens gratia ad animam hominis nutriendam et futuræ æternæque gloriæ fructus, ex eo a digne communicantibus percipiendus. Est ergo hoc Sacramentum margarita pretiosissima et summum donum, quod Christus nobis immerentibus tribuit, est ingens thesaurus cœlestium divitiarum, est spirituale animæ alimentum, quo bene utentes in Christo manent, et Christus in ipsis, ut secundum ipsius spiritum vivant et in vita spirituali conserventur.

Exponam I. Quantum donum sit Eucharistiæ Sacramentum.

II. Quæ sint requisita ad ejus perceptionem.

I. Ad cognoscendum et admirandum hoc donum plane divinum et incomparabile nota in dante liberalitatem, in dono pretiositatem, in modo dandi congruitatem, in accipiente necessitatem, utilitatem.

1. Nota in dante liberalitatem. Sua quidem dare in eleemosynam magnum est, majus ea dare servis et hostibus, maximum vero seipsum dare totum in refec-

tionem. Jam Christus dedit nobis magna in creatione, majora in redemptione; in incarnatione enim dedit se socium, in conversatione exemplum, in prædicatione magistrum, in passione pretium: in Eucharistia vero dat seipsum in sacrificium et cibum, et hic modus se dandi omnes alios superat. In aliis modis donum est divisum ab eo, cui datur; at ex cibo et cibato fit unum indivisum; amantis amor non potest magis exprimi; maximum enim dilectionis signum velle fieri idem cum dilecto.

In hoc Sacramento simul suam nobis declarat omnipotentiam, sapientiam et benevolentiam maxime; omnipotentiam quidem in eo, quod paucis verbis per se converterit panem in corpus et vinum in sanguinem suum, et quod eadem verba Christi tam efficacia maneant, ut per sacerdotes prolata ubique tot sæculis effecerint et adhuc efficiant, ut idem corpus et idem sanguis Christi apud nos in tot locis et altaribus inveniatur, tractetur, offeratur, dispensetur et percipiatur. Unde Augustinus: Homo-Deus de Virgine natus potentius opus est, quam mundus de nihilo creatus. Opus autem consecrationis quodammodo mirabilius est quam incarnatio, quæ semel facta est numquam iteranda, consecratio autem iteratur quotidie multis in locis. Mirum est, nos tam parum considerare hoc Dei opus tam magnum a Christo institutum et adhuc perseverans et semper duraturum in Ecclesia, in quo tam multa concurrunt miracula, quæ nullus homo potest satis comprehendere.

Sapientiam summam Christus in eo declarat, quod voluerit hominem, qui per cibum fuerat seductus et a Deo aversus, per hunc cibum sacramentalem unire cum Deo et ad vitam æternam reficere.

Benevolentiam in eo declarat, quod, ut jam vidimus, sed nunquam satis meditari possumus, se totum omnibus volentibus velit dare in cibum, et quidem non semel, non in diem vel annum, sed semper et in perpetuum; et cum seipso gratiarum thesaurum immensum et nunquam deficientem.

2. Nota in dono pretiositatem. Dat enim nobis carnem suam deificam et sanguinem suum tum in sacrificium, tum in sacramentum. Jam Christus nihil pretiosius, nihil melius potuit dare quam hoc sacrificium corporis et sanguinis sui, quod est sacrificium super omnia sacrificia : sacrificium scilicet laudis et gratiarum actionis Deo Patri gratissimum, ibi enim est præcipuus Dei cultus; est sacrificium propitiatorium, quod meretur remissionem culpæ et pœnæ æternæ; est et impetratorium, cujus virtute exaudiuntur preces, donantur beneficia et bona omnia conferuntur a Patre, fonte omnis boni. Sed deplorandum, quod hæc aliaque bona, quæ habemus in hoc sacrificio, tam parum agnoscimus et ponderamus. Dein quid in mundo nobilius, pretiosius, desiderabilius, sublimius, amabilius et honorabilius quam ipsum corpus Christi vivum cum sanguine, de Virgine natum, in cruce cruento modo et in altari incruente in mysterio oblatum, in gloria assumptum nuncque sub specie panis in Sacramento

comprehensum, quod communicantes accipimus, et quod non solum gratiam continet, sed et fontem et largitorem ipsum omnis gratiæ cum ineffabilibus donis, quæ ipse in communicantibus operatur? Certe nullum donum sublimius, admirabilius, efficacius, divinius, gratia cumulatius potuit dare Christus quam hoc Sacramentum, in quo dat seipsum et ipse dator est donum.

3. Nota in modo dandi congruitatem: modus donandi est congruus. Christus scilicet in Sacramento tradit se non visibiliter et cum glorioso corpore, quod utique facere potuisset, sed modo abscondito, velatum sub aliena specie, sub specie panis et vini, et quidem ob rationes multas, sapientia et benignitate ejus dignissimas:

Propter imbecillitatem humanam, quæ secundum statum hujus vitæ non posset intueri splendorem corporis ejus glorificati et deificati.

Ad ostendendam potentiam suam, quæ mirabilis apparet in eo, quod ipse, qui semel virtute verbi sui panem et vinum in corpus et sanguinem suum mutavit, adhuc hoc miraculum per ora omnium sacerdotum in toto orbe consecrantium operatur.

Ad augendum meritum fidei nostræ; fides enim non habet meritum ubi ratio præbet experimentum, ut ait S. Gregorius; vult, nos credere verbis suis potius quam nostris sensibus, et ita nos salvare per fidem; *beati*, inquit, *qui non viderunt et crediderunt* (Joan. 20, 29); *est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* (Hebr. 11, 1).

Ad excludendum fastidium et horrorem; cum enim sit contra naturam carnem humanam edere, homines abhorrerent a sumendo Sacramento, in quo Christus tamen vult edi.

Ad reddendam acceptabiliorem Sacramenti sumptionem; quamobrem elegit speciem panis et vini, quia hos terræ fructus obvios appetunt homines et non fastidiunt sicut alium cibum.

Ob mysticam significationem, seu ad significandum effectum Sacramenti in cordibus fidelium, quod scilicet, sicut panis et vinum naturalia et principalia corporis sunt alimenta, *panis enim cor hominis confirmat, et vinum lætificat cor hominis* (Ps. 103, 15), ita hoc Sacramentum sit plena refectio animæ.

Ad ostendendam unionem christianam, ut, sicut ex multis granis unus panis conficitur, et ex multis uvis unum vinum confluit, sic per hoc Sacramentum fideles omnes cum Christo et per Christum inter se vinculo caritatis conjungantur, unde Paulus: *Unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus* (I. Cor. 10, 17).

Ad passionem et mortem ejus nobis expressius significandam et repræsentandam; admonemur enim, in cruce corpus ipsius a sanguine fuisse separatum, sicut species panis a specie vini separatur in missa, et separatim consecratur et elevatur primum hostia et dein calix cum sanguine, quasi dicatur: en Christus corpus et sanguinem pro nobis dedit.

Ad provocandum omnes magis ad sui amorem, meditantes et admirantes ejus liberalitatem, qua voluit nobis non solum dare cœlum et terram ad nobis serviendum et Angelos ad ministrandum, sed et seipsum in socium, fratrem, redemptorem, immo et in cibum omnium.

4. Nota in sumente necessitatem et utilitatem. Necessitas quidem sumendi hoc Sacramentum patet ex præcepto Christi : *Accipite et manducate.* (1 Cor. 11, 24), et ex verbis illis Christi : *Amen, amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (Joan. 6, 54).

Multiplex autem ejus utilitas. Ut sacrificium, Deum honorat, lætificat Angelos et Sanctos, juvat vivos et suffragatur animabus purgatorii, unde, secundum Bonaventuram, sacerdos non legitime impeditus, si celebrare negligit, quantum in se est, privat Trinitatem gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, justos suffragio et gratia, animas purgatorii refrigerio, Ecclesiam spirituali beneficio, seipsum medicina et remedio.

Hoc Sacramentum, ut sacrificium, prodest omnibus, ut sacramentum autem, tantum digne sumentibus. Hoc Sacramentum unit sumentem Christo unione vera et essentiali, non spirituali tantum, quæ solo fit spiritu per concordem voluntatem utriusque, sed naturali et corporali, mystice incorporat eum Christo, quia cibus hic non mutatur in sumentem, sed mutat sumentem in se, transformat in Christum et de terreno deiformem facit, juxta illud : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et*

ego in illo (Joan. 6, 57); et juxta illud, quod in Confessionibus sancti Augustini habetur: *Cibus sum grandium; cresce et manducabis me, nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me* (Conf. lib. 7, c. 10). Dein hoc Sacramentum confert homìni augmentum gratiæ habitualis eique conciliat peculiaria quædam auxilia divina actualia, ut exercitio caritatis et aliarum virtutum, calori concupiscentiæ resistendo, possit conservare vitam gratiæ, idque probatur ex analogia cibi et potus corporalis, qui sustentat, auget, instaurat vitam corporalem. *Qui manducat me*, inquit Christus, *vivet propter me* (Joan. 6, 58). Præterea Eucharistia remittit peccata venialia, ad quæ tamen non amplius in animo viget affectus; fervor enim caritatis, qui per venialia relaxatur, per hoc Sacramentum restituitur. Delet quoque peccata mortalia, quorum non habet quis conscientiam, nec affectum, et præservat ab illis, confortans in pugna contra hostes animæ. Dat jus ad vitam æternam et ad ejus adeptionem suo tempore. Est medicamentum immortalitatis corporis post resurrectionem, uti vocat illud Sanctus Ignatius martyr. Bona ex sacra communione provenientia sunt, inquit S. Laurentius Justinianus, peccatorum remissio, fomitis mitigatio, mentis illuminatio, interior refectio, Christi et mystici ejus corporis incorporatio, virtutum corroboratio, contra diabolum armatio, fidei certitudo, elevatio spei, excitatio caritatis, augmentatio devotionis et convivatio

angelica et bonorum omnium participatio et regni cœlestis largitio.

II. Requisita ad ejus perceptionem.

1. Firma fides. *Credere enim oportet accedentem ad Deum* (Hebr. 11, 6). Omnes hic decipiuntur sensus, auditu excepto. Dicendum hic : *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel salvator* (Isai. 45, 15). Secretum sacratissimum soli fidei manifestum (S. Thom. opusc. 59).

2. Munditia et puritas conscientiæ ; unde S. Paulus : *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat* (1. Cor. 11, 28). Hebræis vetitum erat edere de iis, quæ Deo sacrata, si mundi non essent. Sacerdotibus abluendæ manus in æneo labro divinitus ordinato, priusquam sacra facerent. Igitur *lava a malitia cor tuum Jerusalem, ut salva fias* (Jerem. 4, 14). Lava pedes affectionis, manus operis et caput intentionis, aqua scilicet amaræ contritionis, et absterge linteo pœnitentiæ et satisfactionis. Christus enim non nisi in mente pura habitat, et non nisi in animas sanctas se transfert, *qui pascitur inter lilia* (Cant. 2, 16). Hæc lotio spiritualis impletur in nobis, cum Christus nos lavat per os sacerdotis, nos vere pœnitentes absolventis.

3. Ornatus virtutum. Neque enim sufficit, domum esse sordibus vacuam ; bene ornata sit, adveniente tali hospite ; timenda vox : *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem* (Matth. 22, 12). Ornatus sit profundæ humilitatis. Quotidie præpara te

humilem et sic spiritualiter vive, ut digne possis ad Sacramentum accedere. Ad hoc juvabit consideratio divinæ majestatis. Juvabit dicere cum Salomone : *Ergone credibile est, ut habitet Deus cum hominibus super terram? si cœlum et cœli cœlorum non te capiunt, quanto magis domus ista, quam ædificavi* (2. Paral. 6, 18)? Vel cum centurione : *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum* (Matth. 8, 8). Ornatus sit caritatis proximi. *Si offers munus tuum ad altare et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te : relinque ibi munus tuum et vade prius reconciliari fratri tuo* (Matth. 5, 23. 24).

Ornatus sit ferventis desiderii. Festinanter sumendus erat agnus paschalis in signum ardoris et desiderii ; cibus cum fastidio sumptus delectationem non affert, nec satiat. Christus cum maximo affectu caritatis et desiderio se nobis uniendi instituit Eucharistiam, volens nos admonere, ut, quoniam ipse tam libenter et ardenter venit ad nos, et nos vicissim ad ipsum accedere et cum ipso edere desideremus.

Ornatus sit devotionis, quæ est fervor bonæ voluntatis ad ea facienda, quæ ad cultum Dei pertinent ; hæc autem devotio excitari debet per meditationes. *In meditatione mea exardescet ignis* (Ps. 38, 4). Ad excitandam devotionem proderit considerare : quis venit? creator, redemptor, dominus, benefactor ; quantus ille? immensus, omnipotens, maximus, optimus ; unde venit? e cœlo ; ad quem venit? ad hominem, creaturam, servum ingratum, tamdiu rebellem et

creaturis adhærentem; quo venit? in mundum, in corpus hominis tam immundum, tam miserum; ad quid venit? ut animam tuam liberet, sanet, consoletur, nutriat, illuminet, accendat, defendat; venit, ut auferat culpas, imbecillitates, afflictiones, et ut donet gratias, virtutes, robur ad pugnam.

Accedendum insuper cum bona intentione; hæc potest esse ad gratias agendas pro tanto amore, ad amplectendum talem hospitem cum brachiis amoris, ad satisfaciendum vocanti et tam dulciter invitanti, ad exercendos actus fidei, spei, caritatis, ad consequendum lumen et fervorem et robur, ad resistendum tentationibus. *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me* (Ps. 22, 5).

11. De missa.

Exordium. Non erit inutile, sed commodum et tempestivum aliquam instructionem tradere de missa. Primum enim in illa Sanctissimum Sacramentum altaris quotidie tractatur a sacerdotibus et honoratur specialiter a fidelibus per totum annum. 2. Vera fides et doctrina de missa tanto magis necessaria est, quanto magis ab hostibus Ecclesiæ oppugnatur et indigne rejicitur sicut antea numquam; adeo nihil magis oderunt et persequuntur et damnant quam missam, quæ illis est superstitio, idololatria, blasphemia, abominatio. 3. Multi catholici ad missam accedunt, sed vel ob ignorantiam, vel quia non verum usum tenent et ex an-

tiquo more missam audiunt, parvum aut nullum fructum referunt. 4. Nullibi satan magis tentat fideles quam in hoc Sacramento, et, postquam persuasit petere sub utraque specie, dein procedit ad sacrificium missæ oppugnandum et evertendum, ne homines meminerint cruenti in cruce sacrificii, et ita suggerit, nullum in Ecclesia esse sacrificium et sacerdotium a Christo institutum. Nolumus contendere de nomine missæ, sitne latinum, an hebraicum a *missah* deductum. Hoc certum est, nomen hoc a principio Ecclesiæ usitatum et notum fuisse, sicut apud Græcos vocabulum liturgiæ. Unde non solum Augustinus, Ambrosius, Damascenus, sed et Telesphorus, Clemens, immo et Ignatius, de missa expresse loquuntur.

Quid est missa?

1. Missa, breviter et proprie loquendo, nihil aliud est quam totum opus, quod Christus in ultima cœna fecit ac fieri mandavit, sicut scribunt tres Evangelistæ.

2. Est divinum officium, quod, secundum priorum Patrum exemplum, ad altare peragi solet, ut sacramentum Eucharistiæ illic rite consecretur et offeratur sub specie panis et vini.

3. Est memoriale sanctissimæ passionis Christi, qui seipsum hostiam in ara crucis pro peccatis nostris obtulit Patri.

4. Est tota actio sacerdotis, ad altare repræsentantis nobis Christi sacrificium in cruce peractum et sub speciebus panis et vini offerentis, quod Christus instituit et jussit offerri et fieri in sui memoriam.

5. Est sacrosanctum novæ legis sacrificium, quo sacerdos evangelicus loco Ecclesiæ offert Christi corpus et sanguinem pro vivis et defunctis et pro quacumque necessitate.

6. Est sacrificium laudis, gratiarum actionis et propitiationis, quod in Ecclesia catholica quotidie offertur et tractatur, ut Deus Pater intuitu dilecti Filii sui, qui carnem et sanguinem suum semel obtulit, nos participes ejusdem oblationis faciat, nobis propitius esse velit donetque paterne animæ et corpori necessaria.

Hinc Patres ornant missam tot præclaris nominibus; vocant sanctum, vivificum, incruentum sacrificium, quod in ecclesiis operamur (Cyrill.), vocant sacrosanctum, cœleste mysterium, vocant immaculatum, tremendum, vivum sacrificium, officium et gratiarum actionem.

7. Est opus obedientiæ debitæ, quam sponso suo præstat Ecclesia, ne obliviscatur præcepti: *Hoc facite in meam commemorationem*, sub specie sc. panis et vini corpus et sanguinem offerendo quotidie. Deinde sacerdos agit non suo nomine, sed ut Ecclesiæ legatus, annuntiat mortem Domini populo et vivide repræsentat passionem Christi. Breviter: sacerdos ibi consecrat, offert et sumit Sacramentum corporis et sanguinis Domini.

QUARE MISSA IN HONORE MAGNO HABENDA ET EX VERA DEVOTIONE SÆPE AUDIENDA SIT.

1. Ecclesia non habet, nec habuit, nec habere potest sublimiorem et præstantiorem cultum Deo exhi-

bendum in hac vita mortali. Hoc est sacrum sacrorum, et præcipuus cultus semper fuit apud christianos.

2. Ab antiquitate probari potest, Apostolos missam celebrasse, præsertim Petrum Romæ, S. Jacobum Hierosolymis, S. Andream in Achaja, atque S. Matthæum in missa occisum esse; et S. Lucas scribit: *ministrantibus illis* (Act. 13, 2). Nullus fuit Episcopus consecratus nisi in missa, nullus sacerdos nisi in missa ad hoc opus destinatus et obligatus, nullum templum ædificatum, nullum altare erectum toto orbe terrarum, nisi ad sacrificium hoc ibi peragendum.

3. Hæc est oblatio munda, prædicta et promissa divinitus per Malachiam (1, 11), quæ sacrificiis Mosaicis succederet et apud gentes in omni loco sacrificaretur ab ortu solis usque ad occasum. Quomodo igitur non magni faceremus gratiam hujus sacrificii, cum proprie ad novam legem pertineat et per se placeat Deo super omnia, quia Christum continet, agnum sine macula? S. Irenæus: *Novi*, inquit, *Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo*. Sic et S. Justinus.

4. Hoc est sacrificium, quo Christus se sacerdotem secundum ordinem Melchisedech esse declaravit in cœna, et adhuc in sacerdotibus panem et vinum offerentibus expresse declarat usque ad finem mundi, sicut Patres constanter exponunt Ps. 109, 4., quia

sacrificavit Christus in pane et vino, sicut Melchisedech (Cypr. lib. 2, epist. 3, 2. 3).

5. Est actio non humana vel naturalis, sed divina, humanam potestatem excedens solique Deo possibilis. Nam licet millies concurreret tota christianitas, missam unam nequiret instituere, nec talem dare potestatem sacerdotibus ad consecrandum sive ad convertendam substantiam panis et vini. Unde missam oppugnans aut contemnens Christum ipsum oppugnat et contemnit, qui solus est Dominus sacramentorum.

6. Est viva repræsentatio ultimæ cœnæ, per quam actionem testamur nos Christo credere et obedire in eo, quod præcepit: *Hoc facite in meam commemorationem*. Unde, sicut Christus fecit in cœna, facit in missa quoque sacerdos; accipit enim panem, benedicit, gratias agit, verba Christi super panem et calicem repetit.

7. Nihil habere possumus, quod ad memoriam passionis et mortis Domini magis intellectum et affectum excitet, sive spectemus ipsam personam sacerdotis, sive ordinem missæ, sive ornamenta, sive ritus externos, qui adhibentur.

8. Est legis naturalis externum habere sacrificium, sicut et primi fideles, Abel, Noe, Abraham, Job, habuerunt sine mandato. Quin etiam infideles potius voluerunt offerre lapidibus et lignis, immo et dæmonibus, quam carere omni sacrificio, intelligentes naturaliter, illi externum aliquid offerendum, quem putarent et crederent Deum, illique certos ministros, certa loca

et tempora et ritus publice fieri decreverunt, ut suam de numine fidem declararent. Judæis datæ leges de sacrificiis, Christus autem venit non solvere legem naturæ vel Moysis, sed in populo novo adimplere, optimum sacrificium instituens, quod quotidie renovaretur juxta id, quod ipse monstravit in cœna.

9. Quid honorificentius quam illic adesse, ubi semper concurrunt et præsentes adsunt Christus corporaliter et tot Angelorum milha Christo ministrantium in hoc sacro et exultantium, cum nos viderint Christo gratos et devotos in missa? Adest et sacerdos, legatus Ecclesiæ, immo et totus christianismus.

10. Nulla missa dicitur vel auditur, quin nova et mirabilia quædam fiant a Deo, quæ si videre possemus oculis, quam alacriter confugeremus ad altare! quam reverenter aperiremus oculos Deoque gratias ageremus! En statim, recitatis verbis a sacerdote, descendit de cœlo Christus, se abscondit sub speciebus suumque corpus tradit et relinquit in manibus sacerdotis, ut illud offerat, pro quibus vult, et sumat, et det, quibus vult, ut ex eo thesauro juvet vivos et mortuos. Nonne mirum, ita nos visitari a medico, ita converti panem et vinum, ita nobis corporaliter adesse Deum tamque potenter operari et dulciter, sicut experiuntur digne communicantes, ita nos pasci corpore et sanguine Domini, ita nos converti in Christum et quasi deificari?

11. Nulla missa dicitur, in qua homo, si velit, non inveniat Christum sibi paratum, et propensum ad

exaudiendas ejus preces in missa fusas, quæ sunt longe efficaciores quam extra missam. Illic enim est verus Samaritanus, cupiens vulneratum reficere, suo jumento imponere; cupit recipere filium prodigum, ut clemens pater, et justificare impium, sicut latronem accepit in gratiam. En pastor bonus et amans et colligens et pascens oves errantes! En dives et liberalis Dominus, audiens gemitum pauperum et ditans mendicos clamantes! Recumbit in cœna ad cibandos famelicos, reficiens et satians esurientes et sitientes; operatur antiqua potentiæ suæ miracula, ut cæcos illuminet, leprosos mundet, ægros sanet. Et cum qua humilitate descendit et visitat domum suorum et pulsat ostium et invitat hospitem, quoniam *hodie oportet me in domo tua manere?* Vis habere spiritualem scholam, in qua Christum et ejus vitam et passionem omnem agnoscas? Vis discere confessionem peccatorum? Vis prædicationem audire verbi Dei et totius Scripturæ medullam? Vis habere librum vitæ, in quo discas Jesum et hunc crucifixum et in eo solo gloriari ejusque merita tibi et amicis vivis et mortuis applicare? Quis tam rudis, qui non discat hic christianam sapientiam et exercere fidem, spem et caritatem, seque instruat contra omnes tentationes?

12. Hoc sacrificio sacerdotes ornantur et efferuntur super omnes status, ut sint digniores et principibus et regibus æstimandi, utque nulli possint illa facere mirabilia, velut cibare animas, tantum dare et negare thesaurum fidelibus, quæ ipsi faciunt in missa,

ubi Deiparæ conferri possunt. Hinc principes tot bona contulerunt Ecclesiis, hinc fideles tot templa et ornamenta et res pretiosas assignarunt clero.

13. Medium præcipuum est et Deo acceptissimum, nobis saluberrimum, ad agendas Deo gratias, sicut debemus, ob redemptionem nobis a Christo propositam et in cruce consummatam. Unde sacrificium eucharisticum sive Eucharistia dici solet; ad hoc enim institutum fuit et celebrari debet ubique apud gentes. Hinc jussit Christus: *Hoc facite in meam commemorationem*, propter gratiarum actionem pro summo beneficio humano generi dato. Perpetuo hoc sacrificium debet renovare memoriam cruenti in cruce sacrificii a Christo peracti. Quod enim majus bonum, quam ut donet nobis Pater Filium suum in mortem, ut justificemur et salvemur? Hoc figuratum fuit per agnum paschalem, qui singulis annis Deo debuit a Judæis offerri in gratiarum actionem pro beneficio, quod ex Ægypto liberati essent agni sanguine, ut ita educti cognoscerent Deum et legem ejus ac porro in terram promissionis intrarent, quam desiderabant. Ita Christus, verus agnus Dei et nostrum pascha, vult renovari sacrificium, quod ipse in cruce obtulit, et factam illic sanguinis effusionem in missa repræsentat. Quod enim dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, hoc exponit Paulus: *Mortem Domini annuntiabitis* (1. Cor. 11, 26) cum gratiarum actione, per novum sacrificium in novo populo celebrandum, ita ut publice testemur, Christum nos per mortem reconciliasse Patri

et redemisse genus humanum, ideoque gratias agamus, non solum pro redemptione facta, sed et ob spem assequendi cœlestem hæreditatem, et quia possumus dominicæ carnis reddi participes. Unde hæc gratiarum actio comprehendit gratam memoriam, non tantum passionis, sed et gloriosæ resurrectionis et in cœlos ascensionis Christi Domini.

14. Nihil habemus melius et dignius et pretiosius ad offerendum pro quavis causa et necessitate, pro nobis et aliis, sanis et infirmis, vivis et mortuis, immo et pro omnibus hominibus. Unde et Paulus (1. Tim. 2, 1) fieri vult orationes, obsecrationes, gratiarum actiones et postulationes, non solum pro christianis, sed et pro omnibus hominibus ac etiam regibus, magistratibus, qui tunc impii erant et fideles persequebantur. Hoc autem ad missam refert Augustinus, epist. 59, sicut et Chrysostomus et Theophylactus. Offerimus autem pro impiis, ut membra Christi fiant, pro fidelibus, ut membra Christi maneant, sicut et Judæi pro gentibus obtulisse leguntur (2. Mach. 3). Offerimus in gratiarum actionem pro Sanctis de æterna salute securis, et pro peccatoribus in propitiationem, ut ad salutem perveniant et Christi regno fruantur. Unde damnatus Aërius, quod negaret, pro defunctis oblationes esse faciendas, sicut Apostolos instituisse dicit Chrysostomus (hom. 3. in epist. ad Phil.), ut in celebratione venerandorum mysteriorum memoria fiat eorum, qui decesserunt.

15. Nullum sacrificium tam solemne, tam multa sacrificia in Scripturis præcepta continens : utpote sacrificium gratiarum actionis, sicut indicat præfatio ; laudis, sicut in cantico Angelorum et *Sanctus* ; precum, ut missa ostendit in collectis ; eleemosynæ, cum oratur pro vivis et defunctis ; cordis contriti et spiritus contribulati, quod sacrificium semper requiritur in sacerdote ; et tandem sacrificium corporis, hostiam viventem (Rom. 12, 1), quum sacerdos se totum Deo offerat, non solum spiritum, sed etiam corpus, seque illi per Christum commendet, totaque Ecclesia simul ut corpus unum offeratur.

12. De cultu Beatæ Virginis.

Omnes de Societate singularem hactenus habuerunt et habere debent devotionem erga Mariam, matrem, dominam, patronam et advocatam nostram, cujus patrocinio egent et gaudent, hoc pravo sæculo maxime. Constat de Patre Ignatio et primis Patribus, quanto pere coluerint et amaverint hanc Virginem incomparabilem. Magni refert de hac materia scire et cogitare, ut magis accommodemus nos matri Ecclesiæ, toties proponenti festa Virginis et exigenti specialem ejus memoriam sabbatinis diebus, immo et quotidie, cum pulsatur ad Ave Maria mane et vespere. Insuper est patrona Helvetiæ et Episcopatus Lausannensis et specialiter in his locis olim a piis culta fuit.

Dicam ergo :

I. Quas ob causas Beata Virgo specialiter a nobis sit colenda.

II. Quomodo sit colenda.

I. Ad laudandam et honorandam Beatam Virginem nos excitat et impellit honor Dei omnipotentis, qui vult et jubet se laudari et honorari in creaturis omnibus, quas in laudem suam creavit, magis autem in rationabilibus, et maxime in perfectis et sanctis suis, in quibus ostendit suam potentiam, sapientiam et bonitatem ; sed præcipue laudari vult in Maria, quæ inter omnes creaturas intellectuales in terra et cœlo est suprema tum dignitate, tum gratia et sanctitate, tum gloria. Spectemus igitur singularia ejus privilegia.

Primum ejus privilegium est, quod Deus Pater illam ab æterno diligens, eam elegit, prælegit præ omnibus creaturis et prædestinavit, ut fieret Mater Filii sui, quæ dignitas est maxima, quod officium est summum, nulli creaturæ communicatum ; quod Filius æterni Patris hanc solam Virginem elegit sibi ex omnibus creaturis, in qua et ex qua Deus ipse fieret homo, et homo Deus esset ; quod Spiritus Sanctus eam elegit in sponsam, quam ornaret et repleret omni gratia, ut pura, digna et benedicta Mater esset Dei et super omnia exaltaretur post Christum Filium.

Secundum privilegium ejus est, quod primis parentibus in paradiso fuit promissa, quæ per filium caput contereret serpentis, seu liberaret mundum a potestate satanæ ; quod fuerit prænuntiata tot figuris in Veteri Testamento. Hæc enim arca Noe, arca fœderis auro

exornata, et in qua verum manna; hæc virga sacerdotalis Aaron, quæ sine radice germinat; hæc vellus Gedeonis; hæc porta orientalis semper clausa, per quam non intrat nisi rex; hæc mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus; hæc honesta Sara, pulchra Rebecca, dilecta Rachel, regina Esther, victoriosa Judith, hæc mater Salomonis ab illo exaltata. Hanc prædixit Isaias Virginem parituram : *Ecce virgo concipiet et pariet filium et vocabitur nomen ejus Emmanuel* (Isai. 7, 14), et virgam de radice Jesse, quæ pareret florem : *Et egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet* (Isai. 11, 1). De ea dixit Salomon : *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te* (Cant. 4, 7). Hanc Messiæ Matrem desiderabant Israelitæ tot sæculis ex semine Abrahæ, de tribu Juda et stirpe David.

Tertium privilegium ejus est immunitas ejus a peccato originali et actuali, etiam veniali. Etenim tam insigne privilegium insolitæ puritatis accepit a Deo, præservante illam a macula peccati originalis et animam ejus sanctificante. Magnum hoc privilegium nulli ex filiis Adæ communicatum. Nostra enim conceptio impura, mæsta, misera, iræ Dei subdita, maledicta, venenata; conceptio autem Mariæ pura, sancta, læta, felix, plena gratiæ, et proin Maria numquam fuit filia iræ Dei, sed semper sancta. Nisi hoc esset, non posset dici vere benedicta inter mulieres, sed Eva esset magis benedicta et purior, quia constat, illam incontaminatam esse productam.

Dein numquam peccavit in vita, etiam venialiter, corde, ore vel opere, sed semper fuit tota pulchra et immaculata; fuit enim plena gratia, ergo nihil fuit peccati in ea.

Quartum privilegium est ejus nativitas. Sancta enim fuit, quia ex sanctis parentibus, et quia sine peccato concepta et nata, unde ejus nativitas nobilior et utilior mundo quam ullius Sancti. Hinc Ecclesia canit: *Nativitas tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo.*

Quintum privilegium est ejus præsentatio mirabilis, qua seipsam obtulit in templo, cum esset triennis, et ubi omnibus fuit ædificationi et Deo devotam se et in omnibus sanctam præstitit, ascendens de virtute in virtutem.

Sextum privilegium est singularis ejus virginitas. Fuit in Beata Virgine integritas mentis et corporis, perfectior quam in aliis virginibus. Beata Virgo, sola virgo virginum, prima abstulit opprobrium virginitatis, virginitatem diligendo et eligendo et voto obfirmando; excellit omnibus virginibus castitate, excellit fecunditate, quæ simul cum virginitate in nulla invenitur; excellit et causalitate, ipsa enim alias virgines quasi exemplo suo generavit et ad imitationem excitavit: *Adducentur regi virgines post eam* (Ps. 44, 15). Virgo incomparabilis, quia immaculata ante partum, in partu, post partum.

Septimum privilegium est singularis ejus maternitas, qua est naturalis Dei Mater. Miraculose enim concepit

virgo Filium Dei, quia virtus Altissimi obumbravit ei, et Spiritus Sanctus supervenit in eam; Christum concepit plena fide; ei totum dedit, quod habuit in carne et sanguine, totam corporalem substantiam ministrando; gestavit eum novem mensibus, gravida sine gravamine; peperit eum, virgo clausa manens, puerpera sine dolore et repleta gaudio, quæ Christum prima vidit et adoravit. Nulla virgo castior in corpore et in animo, nulla innocentior, purior, perfectior et omni gratia plenior Deoque conjunctior, propior et gratior; nulla mater fecundior, felicior et fidelior, quæ sola potuit dicere: *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo* (Eccli. 24, 12); cui soli competit: *Invenisti gratiam apud Deum* (Luc. 1, 30). Nulla enim tam sancta, pulchra, speciosa, ornata et plena donis Spiritus Sancti. Nulla mater magis amavit filium suum.

Octavum privilegium est honor singularis, quem accepit a Filio suo. Christus, qui elegerat eam in Matrem, se totum illi permittebat regendum, lactandum, cibandum, vestiendum, ducendum, custodiendum; erat subditus illi per triginta annos; nullus filius magis amavit matrem et magis amatus fuit ab illa; aperuit illi mysteria, fons sapientiæ; in Cana Galilææ ad illius nutum feçit primum miraculum. Illam honoravit in cruce, pro illa sollicitus magis quam pro seipso; unde commendavit eam, ut thesaurum discipulo carissimo.

Nonum privilegium est aureola martyrii ob communicationem passionis Filii sui. Ita enim Filio compassa

est corde, ut merito martyr dicatur; tempore passionis fideliter adstitit sub cruce et fidem semper servavit immobilem, in fide perfectior et constantior quam Apostoli, fortior et caritate ardentior martyribus.

Decimum privilegium, quod facta sit mater omnium nostrum spiritualiter, sicut et Filius ejus non confunditur fratres nos vocare (Hebr. 2, 11), et ipse est primogenitus in multis fratribus (Rom. 8, 29).

Undecimum privilegium est prærogativa sanctitatis, qua sublimiorem nullus habuit. Fuit gratia plena, fuit sancta præ omnibus, et quolibet actu merebatur, quia omnia referebat in Deum et gloriam ejus.

Duodecimum est, quod prima meruerit videre Christum post ejus resurrectionem, in qua a Filio suo tanto majorem accepit consolationem, quanto plus doluerat antea.

Decimum tertium, quod mortua quidem, sed post triduum absque corruptione cum corpore glorioso a Filio resuscitata et cum anima et corpore in cœlum assumpta fuerit, et singulariter super hierarchias omnes Angelorum exaltata, regina cœli et domina mundi, ut nulla creatura excelsior, sublimior, dignior, potentior, gloriosior, nulla Deo vicinior et gratior et nobis utilior.

Decimum quartum, quod singulariter inter nos et Filium in cœlo sit mediatrix.

Decimum quintum, quod habeat nomina ipsi propria, quæ nulla creatura meretur, ut ab Ecclesia dicatur: Eva secunda et mater viventium, plena gratia, inventrix gratiæ, genitrix vitæ, Mater Dei, mater nostra,

quæ ergo amat nos et amando pro nobis orat et impetrat, domina mundi, regina cœli et Angelorum, mater misericordiæ, refugium peccatorum, advocata nostra, porta cœli etc.

Unde laudata et honorata a Patribus et ab eis defensa contra ejus oppugnatores et hostes.

S. Augustinus dicit, tantam illi gratiam datam, ut vinceret ex omni parte peccatum plus quam omnes Sancti.

De te, o Virgo Maria, quid dicam pauper ingenio? Quidquid dixero, minor laus est, quam tua dignitas mereatur. Si cœlum te appellem, tu altior es; si matrem gentium dicam, excellis; si dominam Angelorum vocem, esse per omnia probaris.

S. Chrysostomus dicit, incomparabiliter eam excellere Cherubim et Seraphim, semper beatissimam et penitus incontaminatam.

S. Ambrosius dicit, eam speculum esse omnis virtutis et probitatis, quam virgines debeant præcipue imitari; nihil illustrius, nihil castius ea esse.

S. Bernardus: *Ceteris per partes præstatur gratia, Mariæ autem se tota infudit gratiæ plenitudo.*

Cyrillus eam defendit contra Nestorium, Epiphanius contra Ebionitas, Hieronymus contra Helvidium, Ambrosius contra Jovinianum, etc.

Quid ergo mirum, quod Ecclesia specialiter colit Mariam, cui fecit tam magna, qui potens est, quod instituit tam varia festa in ejus honorem in anno celebranda, quod voluit templa et altaria erigi in

ejus honorem, cantari tam præclaros hymnos in templis, dici horas canonicas, pulsari quotidie ad Ave Maria mane et vespere, et addi salutationi angelicæ hæc verba: *Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc et in hora mortis nostræ. Amen.*

II. Quomodo ergo colenda?

Non colimus, nec colere debemus Mariam sicut Deum, qui solus creator, redemptor, sanctificator, remunerator et summum bonum, solusque remittit peccata, solus de suo donat ex propria virtute, solus salvat et damnat. Soli Deo Patri, Filio et Spiritui Sancto cultum latriæ tribuimus, solus Deus dumtaxat est adorandus, super omnia timendus, amandus, laudandus, invocandus et honorandus. Non colimus Mariam ut Filium ejus, licet secundum modum humanum mater major et honorabilior sit filio. Christus enim, quatenus est Filius Dei et Deus, Matri in infinitum excellit, et etiam quoad humanitatem Mariæ excellit propter unionem utriusque naturæ in una persona Filii Dei, quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (Col. 2, 9), et solus est redemptor et salvator mundi per passionem et mortem. Quomodo ergo Mariam colimus? Colimus per hyperduliam, id est, magis quam Sanctos omnes, quia ipsa Sanctis et creaturis omnibus excellit. Hinc etiam inter Sanctos omnes nulli major veneratio, reverentia et honor tribui debet quam Mariæ, Matri Dei, quæ sola plus accepit gratiæ quam omnes Sancti, et quam etiam omnes Sancti ut gratiæ matrem agnoscunt, et cui

omnes gratias debent, quæ mundo salutem dedit, pariendo communem omnium salvatorem. Et quia scimus, ipsam esse matrem nostram, quam Christus in cruce matrem nobis in persona S. Joannis legavit et dedit, et cui dedit maternum affectum et officium, ut pro filiis indigentibus ipsa esset semper sollicita; et quia plus valet sua intercessione coram Deo quam omnes alii Sancti, sicut plurimi per experientiam hoc ipsum in seipsis et aliis cognoverunt; majore cum fiducia et securius ad hanc matrem recurrimus, et illam præ ceteris Sanctis invocamus pro impetranda remissione peccatorum, Dei gratia, cœli gloria et ope temporali ac spirituali. Hic cultus hyperduliæ certe illi debetur.

Ceterum proprietas electorum est, qui Deum amant, Dei filii sunt et ad Dei regnum spectant, ut Dei Matrem specialiter ament et colant. Timeat sibi ergo quisquis non sentit, se Mariæ honore delectari, et illi ex animo non est devotus, nec sæpe se illi commendat, illam salutat, honorat, quam Deus vult ab omnibus electis specialiter honorari. Vere non est Dei filius, qui talem matrem non amat, non magnificat, non invocat hanc advocatam, qua multum eget in vita, in morte, in corpore et anima, in spiritualibus et corporalibus, pro suis et alienis periculis.

Moneo igitur, ut quilibet non desistat in sua devotione erga Virginem, sed constanter exerceat et modo renovet eam. Huc spectat sæpe laudare Trinitatem,

quod tantam gratiam, dignitatem, tot privilegia, tot prærogativas ei præ ceteris concesserit.

Huc spectat recitare psalterium Virginis, quod est valde commendabile, quia inter omnia exercitia spiritualia nullum habet plures et majores indulgentias, continetur in eo omnis vita Filii et Matris, utrique hoc modo precandi gratificamur, verus modus nobis in eo traditur mentem extollendi ad cognitionem et amorem divinitatis. Recitantes psalterium obeunt munus ejus, quæ sedens secus pedes Domini audiebat verbum et mysteria Dei meditabatur.

Huc spectat recolere ejus gaudia, quæ communicavit illi Deus in vita mortali, maxime circa Filii humanitatem in ejus conceptione, nativitate, apparitione, prædicatione, miraculis, resurrectione et ascensione.

Item recolere ejus dolores ob Filii amorem susceptos, ut in fuga in Ægyptum, in amissione, persecutione et cruce et morte et sepultura Filii.

Colenda est Maria exemplo Gabrielis et Elisabeth ex reverentia salutantium eam, sæpe salutando, sicut et ipsa prædixit in cantico suo, et sicut quotidie facit Ecclesia.

Huc spectat, ut nosmetipsos illi tanquam matri commendemus, confidendo, illam plus boni facere velle et posse nobis quam omnes Sanctos, quia fidelis est in gratia impetranda, in consolatione tribuenda, in morte vincenda, in judicio Dei declinando.

Advocatam enim præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam Mater judicis et Mater misericordiæ suppli-

citer et efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit (S. Bern. serm. 1. de assumpt. V.) Ascendens in altum Virgo Beata dabit ipsa quoque dona hominibus, siquidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas, cum sit regina cœlorum, et Mater unigeniti Filii Dei (S. Bern. ibid). In periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca; non recedat ab ore, non recedat a corde, et ut impetres orationis ejus suffragium, non deseras conversationis exemplum (S. Bern. hom. 2. super *Missus est*).

Attendenda hæc ultima verba; non satis est ergo eam invocare, sed opus, ut sequamur ejus exemplum et exerceamus nos in humilitate, obedientia, fide, castitate et caritate et fidelitate, sicut illa vivens in terris se exercuit, speculum virtutum omnium. Quo enim ei similiores in vita sumus, et quo magis ornamus vocationem nostram virtutibus ejus, eo cariores ei erimus, et magis nobis favebit. Mirum autem est, quod religiosi multi tam raro cogitent de illa, cujus vita omnium disciplina est, et quod non vereantur illi reginæ servire, cui sunt adeo dissimiles, et illam pro patrona invocare et laudare, cujus perfectioni in multis non concordant.

Multa quidem in ejus vita, quæ admirari debemus et imitari non possumus: sic magna et excellentia et miraculis plena, quæ spectant ad ejus conceptionem et nativitatem, infantiam, educationem. En elegit eam Deus et praeelegit eam præ omnibus Sanctis ab æterno, ut specialiter esset ab initio ortus præservata a peccato

originali, et repleta Spiritu Sancto, haberet perfectionem justitiæ originalis et superaret Adam in statu innocentiæ. Plus Mariæ gratiæ donatum est, quam Sanctis omnibus per partes distributum. Summam puritatem accepit, ut digna Dei Mater fieret; sanctificatio ejus specialis removit, non modo culpam, sed et peccandi pronitatem. *Sanctificavit* enim *tabernaculum suum Altissimus* (Ps. 45, 5). Fuit benedicta et plena virtutum et in utero matris habuit usum perfectum rationis, ut anima ejus Deum cognosceret et ex toto corde diligeret. Talis sponsa Dei non fuit, nec est, nec erit ita tota pulchra et immaculata, sic confirmata in gratia et in bono consummata. Laudemus itaque Deum, qui sic eam ornavit, et consideremus in ea virtutes, quæ ad nostram vocationem pertinent, ut illas pro imbecillitate nostra imitemur.

En tibi Mariam, tam ab initio puram et sanctam, quæ justitiam originalem servavit, semper tota intenta Deo, habens vires inferiores sub rationis imperio subditas, quæ nunquam habuit cogitationem vel affectum rationi vel leviter adversantem, quæ nunquam dixit verbum, quod potuit offendere, quæ oculos hunni defixos tenebat; nec frustra aperuit, quæ infans nunquam puerile quidquam egit, quæ gravis et modesta et mitis, amabilis, gratiosa semper, nunquam excessit modum edendi et bibendi, loquendi et tacendi, vigilandi et dormiendi, quæ, amatrix silentii, non nisi pauca et necessaria dicere solita erat.

Quæ Mariæ castitas? Talis ut singularem pudicitiam spirarent in illa omnia, sicut habitus, incessus, verba, opera, oculi, aures, lingua et sensus; virgo sancta animo et corpore. Ad hoc non in mundo, sed in templo educata, amabat sola esse, nec videre, nec videri volebat, non nisi in conclavi reperta ab Angelo. Prima vovit virginitatem et Deo sponso consecravit; hoc inventum Virginis virginum.

Quæ Mariæ humilitas? Prima et præcipua fuit ejus virtus, immo abyssum habuit humilitatis, ob quam nulli se prætulit, nec extolli voluit ab Angelo, sed laudata timuit et vocavit se ancillam, humilians se coram Angelo et dein coram cognata; licet jam ad summum munus evecta, non potuit ferre laudem cognatæ, sed statim dedit gloriam Deo, unde dixit: *Magnificat anima mea Dominum; fecit mihi magna, qui potens est.* Humiliavit se coram sponso Josepho: *Ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te* (Luc. 2, 48). Quomodo exaltaretur super choros Angelorum, nisi summe se humiliasset?

Quæ Mariæ paupertas? Despexit facultates et superflua, contenta necessariis, nihil optans proprii possidere, solo Deo contenta. Desponsata viro, sed pauperi fabro, peperit in Bethlehem, cum non haberet domum, conclave, lectum, pulvinar, in summa paupertate. Præsentavit Filium in templo et non habens offerre agnum, cum pauperibus puerperis obtulit unum par columbarum. Quæ pauperior illa, quæ tamen erat filia ex stirpe regia, præsertim exulante in Ægypto et tanta

subeunte pericula cum Filio? Amatrix erat paupertatis et pauperum.

Quæ ejus obedientia? Cessit Angelo monenti de voluntate Dei, obedivit parentibus, obedivit mandato Cæsaris, subdita erat Joseph, volenti ire in Bethlehem et surgenti nocte ex jussu Angeli, ut iret in Ægyptum; observabat in omnibus legem, sitiens et esuriens justitiam.

In fide, spe et caritate erat perfecta; ex fide quidem eam beatam prædicavit Elisabeth; consolata est se spe seu certa expectatione promissæ resurrectionis Filii; assidue meditabatur mysteria redemptionis, et ardebat igne caritatis erga Deum, erga Christum, et vitam ducebat angelicam, et magistra erat Apostolorum et exemplum fidelium. Studeamus ergo ei nos conformiores reddere, si vere velimus eam colere et de ejus patrocinio confidere.

13. De Angelis.

I. Multis de causis bonum et utile est, nos cognoscere et cogitare de sanctis et electis Angelis et sæpe illos nobis ob oculos ponere. Prodest enim hoc ad majorem cognitionem sapientiæ Dei et ad laudem ejus, qui vult in creaturis suis a nobis agnosci et prædicari, præsertim autem in Angelis, excedentibus alias creaturas in nobilitate naturæ, in acumine intellectus, in perfectione voluntatis, in plenitudine potestatis, in virtute operationis, in omni puritate et innocentia, in qua sunt confirmati, ut peccare et gratiam amittere non possint.

Natura hominis propendet ad cognoscendos et amandos angelos, de quibus etiam ethnici tam multa cognoverunt et scripserunt, non habentes lumen fidei. Sed et pueri nostri statim comprehendunt, quæ dicuntur illis de bonis et malis angelis et delectantur inde et timent.

Hæc cognitio et consideratio juvat ad recordationem eorum, quæ in Scriptura legimus de angelis : nempe nobis angelos esse antiquiores creaturas, ab initio creatos ex nihilo et magno numero et pulchro ordine distinctos, ut faciant tres ordines et novem choros, habentes varia ministeria.

1. Sunt omnes spiritus administratorii, ministri Dei, cui die ac nocte assistunt, indesinenter cantantes Sanctus, Sanctus, Sanctus.

2. Sunt ministri Christi, servientes illi, ut conciperetur, ut natus agnosceretur, ut fugeret Herodem, cum in deserto tentaretur, cum tristis oraret in horto, ut resurrectio ejus nuntiaretur, et cum Christo venient omnes Angeli in die judicii.

3. Sunt ministri electorum, *missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis* (Hebr. 1, 14). Ex his unus liberavit Loth a Sodomis, Tobiam a ceto; unus nutrivit Eliam, potavit Agar, custodivit Israel, instruxit Danielem, liberavit Petrum a vinculis et Paulum a naufragio.

4. Ministri sunt principum etiam infidelium, ut Græcorum et Persarum. Præsunt elementis et gubernant provincias, potestatem habent non solum juvandi, sed etiam nocendi hominibus et miracula faciendi.

5. Ministri sunt non modo divitum, sed etiam pauperum, bonorum et malorum, immo et singulorum hominum a principio usque ad finem humanæ vitæ, ut etiam de quovis minimo dici possit illud: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis* (Ps. 90, 11).

II. Quæ Angelorum officia?

Orare pro nobis et Ecclesia, vigilare pro incolumitate corporis et animæ, pugnare contra satanæ fraudes, instruere et corripere peccantes, consolari pusillanimes, assistere morientibus, liberare a malo et confortare in bono.

III. Quomodo erga Angelos nos gerere debemus?

1. In illis laudandus Deus et tanto magis, quanto majora Dei dona tenent et præstant mortalibus; quæ cum nesciamus, sicut ipsi norunt, monendi sunt ipsi, ut Deum benedicant, ut auctorem et finem bonorum, et qui eos confirmavit in gratia, ne caderent cum Lucifero et malis angelis de cœlo dejectis.

2. Laudandus Deus in illis, qui nostra causa tam multa beneficia nobis præstare possunt et volunt, sicut optimi amici, probatissimi medici et protectores fidissimi, ut a malo liberemur et in bono promoveamur.

3. Requiritur a nobis gratitudo erga eos, ut de talibus patronis et amicis et protectoribus sæpe cogitemus et loquamur et cum illis familiaritatem habeamus eosque honoremus, præsertim tempore orationis: *In conspectu Angelorum psallam tibi* (Ps. 137, 1). Bonum est Angelum proprium quotidie salutare et se

illi commendare et per illum offerre preces et opera nostra, ejus opem petere contra malum angelum, suam necessitatem et miseriam illi dolenter exponere, illum habere pro fido amico et custode, principe et patrono.

4. Honorandi sunt propter Angelos magistratus utriusque stàtus, in quibus revereri debemus præsentiam et potestatem Angelorum, sicut etiam in malis magistratibus timere debemus satanam, ad multa mala illos impellentem.

5. Notanda sunt, quæ ab Angelis magis amantur et in pretio habentur, ut saltem cum illis in hoc conformemur. Amant innocentiam et ideo libenter innocentes in anima et corpore custodiunt. Amant castitatem, sicut ipsi casti sunt et mundi spiritus. Amant devotionem et cultum Dei et idcirco versantur circa orantes et in templo collectos. Amant conversionem peccatorum, magno zelo flagrantes, ut ex filiis diaboli fiant filii Dei.

Amant caritatem et misericordiam exercentes, sicut et ipsi gratis nobis administrant omnia et in omni necessitate fideliter succurrunt. Amant obedientiæ studiosos et fortiter pugnantes contra communem hostem in vita et in morte.

16. De cultu Sanctorum.

Nullus mihi vitio vertet, quod in præsenti exhortatione proponam de Sanctis aliquid dicere. Horum enim festum anteactis diebus celebravimus et hodie octava

festi agitur. Qui vere et sincere amat Christum, caput et coronam omnium Sanctorum, et membra ejus amat et colit. Qui Ecclesiam pro matre habet, et filios ejus præcipuos, Sanctos, libenter colit. Quotidie sacerdotes, sive in horis, sive in missa, celebrant memoriam Sanctorum, nobis legitur quotidie de Sanctis in martyrologio, singulis mensibus eligimus Sanctos colendos. Certum est morem esse antiquum, ut anniversaria memoria eorum renovetur de die in diem, sicut a tempore Apostolorum factum esse probari potest ex Tertulliano et Cypriano, et festivitatem Sanctorum utiliter a credentibus fieri in Ecclesia, sicut Augustinus clare demonstrat. Dicam :

I. De causis nos in Societate Jesu excitantibus ad specialem Sanctorum cultum devotius et sæpius exercitandum.

II. De modo eos utiliter colendi.

III. De abusibus in eorum cultu cavendis.

I. Cur nos in Societate erga Sanctos cultum devotionis specialem exercere debeamus. Prima causa est confessio fidei contra hæreticos recentiores, qui exemplis, verbis, scriptis Sanctos omni honore spoliant et fidem cultumque catholicorum circa Sanctos irrident et rejiciunt et passim, ubi possunt, abolent. Unde festa Beatæ Virginis et Sanctorum abrogant, legendas exsibilant, reliquias eorum pro ossibus mortuorum habent et abjiciunt, imagines destruunt, miracula contemnunt, cultum et invocationem Sanctorum pro superstitione et idololatria reputant et damnant. Vere pejores

sunt Eustachianis, Vigilantianis, Petro-Brusianis, non ita sævientibus. Incredibile est, quanta invidia, ira et odio flagrent in Sanctos, quos blasphemant, sive ex ignorantia, sive potius ex malitia, immo ex suggestione malorum spirituum, sicut prædixit S. Joannes, Apoc. 13. Deus autem hoc permittit fieri, ut certius cognoscamus, qui ad veram Ecclesiam sive militantem sive triumphantem pertinent, et qui sint de communione Sanctorum. Quanto minus homines curant Sanctos, tanto longius absunt a Christi regno et omni sanctitate et propiores sunt regno satanæ. Jam cum habitemus in Germania, in medio Vigilantianorum novorum, tanto magis oportet nos fidem catholicam, non solum ore defendere, sed et opere declarare et specialiori devotione colere Sanctos, ut suppleamus, quod ipsi Sanctis derogant impia sua insania et temeritate; dein zelare nos decet, ne catholici frigeant in cultu Sanctorum.

2. Excitare nos debent exempla Patrum et fratrum Societatis, qui erga Sanctos et præcipue Deiparam valde devoti fuerunt et ex hoc cultu multum fructum reportarunt, et qui Sanctorum exemplis et intercessione adjuti usque ad mortem pugnant pro catholica fide, et propter justitiam apud gentiles et hæreticos persecutionem patiuntur, et quorum multi jam repromissiones adepti sunt, ut beatus Ignatius cum 40 sociis a Calvinianis in odium fidei in mari peremptus, et qui procul dubio nos et Societatem nostram potenter contra hostes et pericula defendunt. Nec dubitandum, quin multos Sanctos e primis Patribus et sociis habeamus in cœlis,

et quin quotannis augeatur Sanctorum numerus, immo quin semper aliqui Sancti nobis nuntientur, cum adfertur schedula de multis mortuis obedientiæ filiis, licet qui et quando in cœlum evolent, ignoremus. Quo autem plures evolant, eo magis confirmatur et augetur et ornatur nomen Domini, et eo plures Societas nostra habebit intercessores in cœlo, qui socios in terra militantes juvabunt; cum ergo filii Sanctorum simus, decet procul dubio nos speciali devotione colere Sanctos.

3. Nostrum institutum requirit assidua certamina cum dæmonibus, filiis sæculi, carnis desideriis et operibus, requirit studium perfectionis propriæ et zelum animarum; ut filii Societatis Jesu debemus perfecte observare vota, regulas, debemus vigilare et in multis et magnis periculis versari, prælіari prælia Domini, laborare sæpe in messe deserta, quæ paucos habet operarios; vincendi nobis adversarii plurimi visibiles et invisibiles; transeundum nobis per aquam et ignem et multas tribulationes; indigemus ardentibus desideriis patriarcharum et prophetarum, fide Apostolorum, patientia et fortitudine martyrum, spiritu orationis, sancto zelo et singulari scientia et discretione Doctorum et confessorum et multiplici gratia pro nobis et aliis per nos lucrandis et salvandis. Debemus enim esse piscatores hominum et omnes quotquot possumus Christo adducere. Multo magis ergo egemus favore, intercessione, ope et auxilio Sanctorum, ut pro nobis orent nostrasque necessitates Deo commendent et nobis specialia gratiæ dona impetrent, tum Superioribus tum

subditis, professis et cooperatoribus, concionatoribus et scriptoribus, confessariis, magistris et discipulis, scholasticis et novitiis, amicis et æmulis, per totum orbem terrarum, sive sint in collegiis sive in missionibus, sanis et infirmis. Ut autem specialius nos juvent, etiam specialius a nobis colendi sunt.

II. Quomodo colendi a nobis. Non sufficit de Sanctis catholice credere et docere, quod nempe sint in cœlo, participes præmiorum, quæ Christus promittit beatis, quod videant Deum, quod cognoscant, possideant, ament et amando laudent Deum, quod cognoscant cœlestia mysteria et res humanas, quod nos uti commembra sua sub Christo capite agnoscant et ament, quod sint solliciti de nobis, ut fratribus suis adhuc exulibus, quod possint plura, quam nos æstimamus, quod orent pro nobis, et quod Deus propter illos multa largiatur immerentibus. Non sufficit hæc fides, sed requiritur devotio, qua Sanctos ipsos speciali cultu honoremus.

1. Exercenda fides de illorum præcellenti dignitate, felicitate, de efficacia eorum intercessionis et caritate eorum erga nos, ut excitetur in nobis reverentia et fiducia erga illos.

2. Prodesset observare dies festos Sanctorum et ad illos nos præparare, eos illis diebus specialiter colere, eis gratulari de felicitate eorum, de ea gaudere, Deo gratias agere de concessis eis gratiis et de gloria, eos invocare.

3. Prodesset virtutes Sanctorum proprias seria, devota meditatione expendere et nos ad eorum imitationem excitare, uti et legere, expendere eorum dicta, præscripta, acta.

4. Prodesset nos humiliare coram Sanctis tam excelsis et coram eis expendere miserias nostras spirituales, videre, quæ in nobis Deo et Sanctis displicent, et emendationem proponere, et ab illis auxilium implorare, petere eleemosynas spirituales.

5. Prodesset cum fiducia eos in necessitatibus nostris invocare et illis commendare tum nostras tum necessitates Ecclesiæ et Societatis.

III. Quinam abusus cavendi. Habemus multa et varia media ad cultum Sanctorum nos excitantia, sed negligimus; contenti sumus communi fide Ecclesiæ circa Sanctos et aliqua observatione externa, sed abest sæpe devotio spiritus et manet sola consuetudo, ita ut fructum non percipiamus.

1. Abusus est, festa Sanctorum celebrantes tam parum considerare præcipuas eorum virtutes nobis in nostra vocatione necessarias, nec nos excitare ad eas in nobis exprimendas.

2. Abusus est, pulchras Sanctorum imagines amare, nec interiorem eorum pulchritudinem magis attendere, et nostram negligere.

3. Abusus est, audire quotidie martyrologium sine interno spiritu et desiderio imitandi, vivendi et moriendi pro Christo.

4. Abusus est, commemorationem facere Sanctorum in missa et in horis eorum vitas legere sine novo fructu spirituali.

5. Abusus est, accipientes Sanctos, qui singulis mensibus distribuuntur, non magis notare sententiam et virtutem exercendam.

6. Abusus est, litanias Sanctorum perfunctorie, animo distracto et ex consuetudine recitare, nec magis applicare animum ad eas devote recitandas et commendandas Sanctis nostras necessitates et necessitates Ecclesiæ et Societatis, vel non attendere, quid ab iis petendum.

7. Abusus est, non nisi in necessitate Sanctos invocare, nec magis fidenter agere cum talibus amicis et patronis, vota nostra illis commendando, offerendo, ipsis fidendo etc.

15 De laudabili et utili more eligendi sanctos patronos menstruos.

Est consuetudo in domibus religiosis distribuendi singulis mensibus et accipiendi et eligendi sibi sanctos patronos menstruos. Dicam :

I. Cur hæc consuetudo sit magnifaciendA.

II. Quomodo honorandi sint sancti patroni menstrui.

1. Est opus et testimonium veræ catholicæ fidei honorare Sanctos et invocare generaliter et speciatim, ad confundendos hæreticos contradicentes, quorum

opinio fundata est in occulta superbia, ob quam putant, se non indigere precibus et meritis Sanctorum.

2. Est confirmatio laudabilis consuetudinis veterum etiam Sanctorum, libenter salutantium, honorantium et invocantium Sanctos peculiares, maxime Beatam Virginem, Angelum custodem proprium, et patronum patriæ.

3. Est probatio fiduciæ nostræ erga divinam bonitatem, a qua speramus nos impetraturos gratiam ob Sanctorum patrocinia, per quos Deus multa immerentibus largitur. Unde et Christus ait: *Facite vobis amicos, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula* (Luc. 16, 9).

4. Revocat nobis in memoriam virtutes et privilegia Sanctorum, quæ referuntur in eorum vita, et excitat nos ad illorum imitationem. In unoquoque Sancto elucet virtus specialis: in Paulo elucet amor Christi et crucis, in Stephano amor inimicorum, in Laurentio patientia, in Nicolao amor proximi, in Antonio prudentia in vincendo dæmone, in Catharina amor castitatis, in Francisco amor paupertatis et zelus proficiendi in justitia et sanctitate.

5. Confundit nostram superbiam et ad humilitatem nos provocat cogitatio, quanta fecerint Sancti, quomodo seipsos abnegaverint, quas pugnas confecerint contra hostes, quam procul nos ab illorum distemus vestigiis, in cogitationibus, desideriis, verbis et operibus et in omnibus virtutibus theologicis et cardinalibus. Illi contenderunt in cœlum ingredi per angustam portam,

flendo, carnem suam strenue cruciligendo et mortificando, nobis vero non placet hæc via.

II. Quomodo honorandus Sanctus menstruus? Bonum est :

1. Ejus vitam legere et sibi in mentem revocare, maxime in die ejus festo, et de illo cum aliis colloqui.

2. Sibi quotidie proponere virtutem in imagine ejus vel charta propositam et virtutis hujus actus aliquos exercere.

3. In vigilia festi ejus se parare ad ejusdem celebrationem, eum rogare, ut annuntiet nobis de dilecto, ut det nobis de oleo suo, quia lampades nostræ extinguuntur.

4. Gratulari ipsi felicem statum, in quo nunc versatur : videndo, amando et laudando Deum et eo fruendo.

5. Proponere sibi imitationem ejus virtutum : ejus vitæ angelicæ, ejus pœnitentiæ, ejus amoris crucis etc.

6. Proderit exercere aliquod opus humilitatis in ejus honorem.

7. Item proderit confidenter Sancto committere et commendare necessitates Ecclesiæ et Societatis et præsertim nostras necessitates, sive in votis nostris exsolvendis, sive in regulis servandis juxta nostram vocationem, maxime vero in cognoscendis et superandis tentationibus quotidianis.

Tentationes autem, quæ solent occurrere per diem, et quibus impedimur a profectu spirituali, multæ et variæ sunt. Sic tentatio est impediens nos impigre ex lecto surgere, cum tempus est surgendi. Tentatio

est, non excludere vanas cogitationes ante orationem vel in oratione, quæ multum impediunt devotionem et fructum orationis. Tentatio est nimia sollicitudo circa ea quæ ad corpus et valetudinem corporis pertinent. Tentatio est, non observare animi motiones, quibus agitamur vel ex proclivitate naturæ, vel mala consuetudine, vel propria voluntate, vel ex malo spiritu, præsertim quia negligentes sumus in examine conscientiæ quotidiano et magis ex consuetudine quam ex spiritu et devotione illud peragimus. *Nescitis, cujus spiritus estis* (Luc. 9, 55). Tentatio est deficere in intentionibus nostris et agere ex consuetudine.

16. De Patre Ignatio.

Quæ causæ tractandi? ob diem anniversarium optimi Patris et primi Præpositi nostræ Societatis; ob morem aliarum religionum, in quibus valde laudatur fundator ordinis, et ab illo nomen sæpe accipiunt posteri; ob officium gratorum filiorum, de Patre suo libenter cogitantium, loquentium, audientium, qui putant illius laudem et honorem ad se pertinere; ob utilitatem consequentem, si sedulo Patrum exempla spectantur et sæpe in memoriam revocantur. *Laudemus viros gloriosos et parentes nostros in generatione sua* (Eccli. 44, 1).

I. Sunt primum multa, in quibus patrem nostrum non possumus imitari. Habuit multas divinas revelationes; multis in locis vidit Christum cum cruce, Mariam cum puero suo; cognovit mysteria fidei, præsertim de tribus personis divinis, de humanitate Christi,

de Sacramento altaris, quomodo Christus in illo Deus et homo continetur ; mansit aliquando in extasi, videns mirabilia et animas suorum euntes in cœlum statim post mortem. Non possumus assequi tantam sapientiam, quantam in illo merito multi sunt admirati; habuit mirabilem discretionem spirituum, valde versatus in scrupulis et cogitationibus discernendis: sicut satis ostendit liber exercitiorum et liber constitutionum, in quibus Deus illi multa et magna revelavit propter commune bonum. Perfectus erat in spiritu devotionis et orationis erga Deum et in intima cum Deo familiaritate, unde spectando cœlum tam facile, tam ubertim fundebat lacrymas. Fecit et multa miracula, curans Patrem Simonem, Patrem Claudium ægrotos; prædixit suum successorem in Societate. Fuit speculum et exemplar omnis perfectionis, et præsertim in affectibus mortificandis.

II. Sunt multa, in quibus Patrem nostrum non debemus imitari, quia fuit miles et inter milites pugnavit magnumque nomen et sæculi honorem et laudem habuit. Non debemus eum imitari in asperitate vitæ, quam sibi delegit statim post conversionem; assumpsit mendici habitum, fune cinctus, nudo capite et cum baculo ambulans, non capillos pectens, ungues et barbam non præscindens, humi cubans, nocte majore ex parte vigilans, quotidie præter diem dominicam jejunans, aliquando septem diebus nihil cibi gustans, quotidie septies se verberans. Excurrit in summa inopia ad victum quærendum, ut in studiis haberet susten-

tationem, unde profectus est in Flandriam, Angliam, Hispaniam, Galliam. Neque debemus eum imitari, ut suscipiamus peregrinationem ad montem Serratum et ad terram sanctam. Voluit et aliquando ex magno zelo Maurum vulnerare, quia Deiparam vituperarat. Item contraxit sibi magnam debilitatem stomachi ex operibus pœnitentiæ, ex multis meditationibus et orationibus et lacrymis. Non consulto Superiore, docuit populum et comites postea assumpsit, multaque et varia fecit et sustinuit. Quæ certe nobis non conveniunt, immo prohibita sunt juxta ipsius constitutiones certasque regulas, in quibus cum gaudio metimus, quæ ipse cum lacrymis seminavit.

Quomodo igitur nobis bonus et sanctus Pater utilis esse potest? Primo, si Deum laudemus in illo Deique dona prædicemus, illi propter nos et Societatem nostram collata. *Omne enim datum optimum et donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* Requiritur nostra gratitudo, quod Ecclesiæ hujus temporis datus sit vir talis, qui mundo persuaderet multa et magna contra conatus hæreticorum et ipsis ingrata commendaret publice, qui propterea missus est ad visitandam vineam Domini et electus dux novæ cohortis militum contra hostes Ecclesiæ, ut in messe multa multi et boni operarii reperirentur. Nec opus est repetere, quam multa et magna perfecerit hic Pater per suos in variis provinciis, tot collegia erigendo, tot scholas aperiendo, tot martyres instituendo, tot

doctores excitando ubique gentium, præsertim vero ad conversionem hæreticorum et infidelium. *Vere digitus Dei hic est*, si cogitemus, quam mirabiliter hic Pater tantum ædificium inceperit et provexerit brevi tempore, et quam late propagaverit hanc suam Societatem, etiam mundo admirante de tam celeri et felice progressu et successu nostrorum apud fideles et infideles.

III. In quibus maxime eum imitari debemus? Nihil in ejus conversione magis elucet quam sancta patientia, per quam seipsum castigavit et vicit magnamque crucem sustinuit triginta quinque annis post suam conversionem supputandis. Vere magnam crucem illi Deus imposuit et varias et graves persecutiones, quas pertulit tum in Hispania, Compluti et Salmanticæ, tum in Italia et Gallia, ac etiam Romæ multos habuit adversarios, contra quos Christus illum confortavit, dicens: *Ego vobis Romæ propitius ero.* Eumdem calicem et suis filiis bibendum reliquit Ignatius, non sine magna consolatione nostrorum, quod post Ignatium cum Christo in cruce probemur.

Imitari oportet eum in devotione erga Sanctos, præsertim Beatam Virginem, cui preces horarias recitare solebat, et ad cujus honorem vovit castitatem; coluit et valde Apostolum Petrum; sed præcipue eminebat amore erga Christum, et familiaris admodum erat cum Deo tanquam fonte bonorum, maximamque habuit in orando consolationem et fiduciam; quidquid vellet constituere, sicut de modestia religiosa, orabat, addens orationi lacrymas. In singulas horas sese col-

ligebat et Deum in rebus omnibus præsentem cernebat et volebat suos in omni actione orare.

Imitari eum studeamus in locutione, ubi valde cautus erat, nihil temere loquens, sed deliberate et prudenter, parcus in laudando, parcior in vituperando, sine superlativis, non ferens detractores, silens de aliorum erratis, loquens graviter, non judicans alios, sed excusans potius quam accusans.

Imitemur eum in prudentia naturali et supernaturali, cum esset expertus in se tentationes et scrupulos. Cum hac prudentia conjungebat fortitudinem, ut nihil sollicitus esset de annonæ caritate et difficultate rerum, nihil dubitans, Deum sibi adfuturum, licet pauper esset et multis egeret. Libenter alios audiebat, sed in Deo magis quam in hominibus confidebat, animo semper læto et tranquillo, quidquid diceret vel faceret. Hinc domum Patrum, collegium Romanum et Germanicum erexit et suos per orbem misit et admirabili modo gubernavit, multa invenit media et remedia ad conservandam paupertatem et extirpandam ambitionem et ad novos operarios excitandos, Romæ multa reformavit.

Imitemur eum in puritate intentionis, quam rebus omnibus adhibebat, habens hoc symbolum: *Ad majorem Dei gloriam;* unde et jussit in omnibus Deum et Dei gloriam quæri.

Imitemur eum in zelo animarum; erat enim ipse bonus piscator hominum et suos esse volebat piscatores hominum, ut scilicet omnes omnibus omnia fierent et omnes Deo lucrifacerent, utque in hoc opere

imitarentur Angelos semper conjunctos cum Deo et in bene monendo indefessos.

Habet sibi peculiare Pater Ignatius inter alios fundatores religionum, quod exigit vota simplicia post novitiatum facienda eorumque renovationem bis in anno instituendam cum ratione conscientiæ reddenda, a professis autem quatuor vota; quod adeo urget virtutem obedientiæ et vult, illam cæcam esse, et per eam maxime discerni Societatem ab aliis religionibus; quod ex aliqua parte suos vult conformari clericis sæcularibus, sicut in victu, vestitu et exterioribus, in orando, celebrando, sepeliendo, in scholis et studiis, et nos conformat ordinibus mendicantium quantum ad paupertatem; quod requirit studium perfectionis a nostris, non solum pro se sed et pro proximis Deo conciliandis, et vult, nos simul vitam activam agere et contemplativam, sicut egerunt Christus et Apostoli.

Grati simus Deo et Jesu fundatori, quod talem nobis dederit ducem et patriarcham, cumque hic nunc in cœlo majorem habeat potestatem et majorem caritatem erga filios, quam in terris, invocemus eum, ut purgari, illustrari et propagari faciat magis corpus Societatis, et ut augeat in nobis spiritum, quem ipse accepit. O quanta illi gloria accrescit in dies! Invocemus eum, ut impetret nobis gratiam pugnandi contra hostes nostros et ornandi vocationem nostram virtutibus solidis, ut sic possimus fortiter præliari præha Domini contra hostes Ecclesiæ et salutis humanæ hoc tempore periculoso.

III. EXHORTATIONES DE ORATIONE DOMINICA.

1. Pater noster, qui es in cœlis.

Magnifaciamus hanc precationem, nec leviter ex more tantum recitemus. Habet enim auctorem Christum ipsum, qui in ea ostendit summam sapientiam suam, paucis verbis comprehendens, quæcumque recte peti et desiderari possunt ac debent a fidelibus; in ea proponuntur bona et mala, circa quæ die ac nocte solliciti esse debemus, si veri christiani esse cupimus et bene vivere in hac vita et beate in futura. Debuit Ecclesia discere ab ipso Christo rationem orandi, ut hoc quasi spirituale tributum offerret quotidie Deo et hoc sacrificium ab angelis exceptum Deo repræsentaretur; nullum enim est aliud pietatis genus a Christo magis commendatum nobisque tantopere necessarium ad fugienda mala et consectanda bona.

Nota 1. Christum non dicere: cogitate vel intelligite, sed, cum oratis, dicite: *Pater noster* etc.; commendat enim vocalem orationem cum mentali conjunctam, ut ex utraque parte, corporis et animæ, homo servitutem Deo debitam præstet. Unde Ecclesia se conformat exemplo Christi, cum a ministris suis exigit horas canonicas et preces alias, lingua et voce,

devote recitandas, immo et publice decantandas; sicut et usus obtinuit in Veteri Testamento, sed et gratus Christo fuit cultus, cum pueri Hebræorum vocibus et clamoribus adhibitis die palmarum palam dixerunt: *Benedictus, qui venit in nomine Domini; hosanna in excelsis* (Matth. 21, 9). Prodest autem hæc vocalis oratio ad mentem excitandam et elevandam ad spiritualem orationem, quæ sola paucis convenit.

Nota 2. ex intentione Christi hanc divinam orationem non pertinere ad infideles; *quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt* (Rom. 10, 14)? nec ad Judæos; *omnis enim, qui negat Filium, nec Patrem habet; qui confitetur Filium, et Patrem habet* (Joan. 1, 23); non ad hæreticos, qui sunt extra domum et proscripti, qui scindunt Christum, hostes unitatis et velut palmites a vite sua præcisi.

Ad quem recitanda oratio? ad omnes personas divinas, sive ad Sanctam Trinitatem, teste Augustino, et non ad unam tantum, licet dicamus: Pater noster.

Præfatio hæc indicat bonitatem Dei et excellentiam Novi Testamenti, indicat Deum a nobis invocandum ut Patrem, quo nullus potentior, sapientior, justior, nobilior et admirabilior. Opus est igitur cum majore diligentia et cura et fiducia ad precandum accedere.

Quæ doctrinæ ex primis verbis colligendæ?

1. Quantus sit amor Dei erga homines, quibus se *Patrem* offert et exhibet, amari volens, non timeri ab indignis, totus pius et benignus. Hoc ad petendum nos allicit, fiduciam suggerit impetrandi, ne dubitemus,

nec vereamur ad illum accedere: *Petite et accipietis.* Pater est creatione, conservatione, gubernatione, custodia omnium, sed maxime adoptione.

2. Quia dicendum est: *Pater noster*, discimus caritatem fraternam in alios exercere, bona non propria, sed communia spectare et promovere, pro nobis invicem orare, et non pro se quisque solum, *omnes enim vos fratres estis* (Matth. 23, 8). Væ superbientibus ob nobilitatem, opes, potentiam; omnes enim pares sumus ratione patris terreni, ex limo formati, nati nudi, brevi tempore viventes, certo morituri et a Christo secundum opera judicandi.

3. *Qui es in cœlis.*

Opus ergo est oculos et animos a terrenis avertere, mundum et terrena contemnere et nostrum desiderium et amorem convertere ad cœlestem patriam, in qua Pater noster habitat et invisibilis manet et nostras preces expectat, ut habeat causam exaudiendi et largiendi. Cur ergo appeto terrena et hic relinquenda, cum habeam Patrem et patriam in cœlis? *Quæ sursum sunt, quærite, non quæ super terram* (Col. 3, 1); *non enim habemus hic manentem civitatem* (Hebr. 13, 14).

Deinde discimus cogitare, loqui, desiderare, quæ digna sunt tali loco et regno, ad quod creati et redempti sumus.

Opus est nos cogitare, quod sumus exules, vincti, miseri. Libenter cœlum spectabimus, cum psalte dicentes: *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in*

cælis (Ps. 122, 1). Ibi enim Deus maxime operatur seque videndum præbet Angelis et Beatis: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua* (Ps. 16, 15). Unde Paulus: *Nostra conversatio in cælis est* (Phil. 3, 20). Alioquin ubique præsens Deus per essentiam, bonitatem, potentiam. *Cœlum et terram implet* (Jerem. 23, 24). Præsens ubique per divinitatem, in terra per misericordiam, in inferno per justitiam, sed in cœlo per gloriam.

2. Sanctificetur nomen tuum.

1. Certum est Deum, Patrem nostrum, semper et omni ex parte tam justum, bonum, sanctum et perfectum esse, ut nihil illi possit addi ad suam sanctitatem, nec minui. Infinitus enim est in omni virtute, sanctitate, perfectione et gloria ab æterno, exemplarque omnis sanctitatis, immo et sanctificator omnium. Non eget nostri nec cultus nostri. Gratulabor Deo semper perfecto et sancto.

2. Sanctificari autem debet in nobis et per nos, ut agnoscatur et habeatur pro illo, qui est summe potens, summe sapiens, summe gloriosus, causa et finis bonorum omnium, quæ facta sunt et fieri possunt. Sicut enim germanus filius honorem patris amat, quærit, vindicat, ubi potest: sic verus christianus Deum debet non solum honorare corde eum amando, ore eum prædicando et laudando, opere ad illius gloriam vivendo, sed et omne bonum illi velle ab aliis, ut

passim ejus augeatur gloria, nempe ut sanctum reputent ejus nomen, ut verbum ejus corde credant, ut ore illum confiteantur et prædicent, et opere ipso eum illustrent.

3. Ex animo petam cum propheta, multos esse qui Deum agnoscant ex infidelibus, Deum laudent die ac nocte ex fidelibus, ex peccatoribus convertantur et ex justis promoveantur.

4. Obligantur christiani magis quam alii ad illius laudem et gloriam celebrandam, quia majorem ab eo lucem et gratiam acceperunt per Filium, qui nobis manifestavit viam salutis, et cor Patris et opes gratiæ aperuit, atque infudit Spiritum Sanctum ad consolandos fideles.

5. Tristari debemus ob maximam turbam hominum non sanctificantium nomen Dei, sed blasphemantium, temere jurantium, vota violantium, irreverenter orantium, verbo Dei abutentium, sponsam ejus Ecclesiam insectantium et scindentium, sacramenta ejus contemnentium. Hoc est polluere nomen Domini. *Nomen Domini per vos blasphematur* (Rom. 2, 24). *Dominum exercituum ipsum sanctificate ; ipse pavor vester, ipse terror vester* (Is. 8, 13).

3. Adveniat regnum tuum.

1. Regnum fidei, vera scilicet intelligentia rerum divinarum (Ambrosius). Destruatur autem regnum ignorantiæ et erroris et tenebrarum, in quo versantur

Judæi, Turcæ, infideles, cæci et duces cæcorum et idcirco cadentes in foveam damnationis. His dicit Christus (Matth. 22, 29): *Erratis nescientes Scripturas.*

2. Regnum divinæ gratiæ, ut hæc in nobis regnet per inhabitationem Spiritus, destruatur autem in nobis regnum peccati et malitiæ. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus* (Rom. 6, 12). Et sicut Deus regnat in bonis, qui faciunt ejus voluntatem, sic et dæmon in malis regnat, qui non Deo, sed ipsi volunt esse subditi. Pro his petimus, ut ad Christi regnum transeant et cives regni ejus fiant, Christo in illis dominante per virtutes, et destructo imperio satanæ.

3. Regnum Ecclesiæ catholicæ in hoc mundo, ut dilatetur et exaltetur numero et merito, et destruatur regnum Antichristi et synagogæ hæreticorum; fiat unum ovile et unus pastor, humilientur hostes unitatis et pacis, confirmentur in fide boni et proficiant in caritate, habeat Ecclesia bonos fidosque principes et sacerdotes.

4. Regnum cœlestis gloriæ, ut, quod promissum est, accipiamus, ut, quod speramus, clare videamus, ut nostrum desiderium expleatur et simus hæredes Dei et cohæredes Christi juxta illud: *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum* (Luc. 12, 32). Destruatur autem regnum præsentis et futuræ miseriæ, regnum hoc mundi temporale, terrenum, caducum, fallax, ubi regnat princeps mundi, ubi caro habet patriam, ubi semper pugnandum,

laborandum, patiendum, cum metu et tremore serviendum. O quam brevis, vana et instabilis hujus mundi gloria! quam impuræ deliciæ, amara gaudia, fragilia præsidia ad præstandum, quod promittit!

Nota 1. Beatitudinem hominis summe desideratam ab omnibus et desiderabilem. Ad hanc creatus homo et tam care redemptus. Huc spectant Dei promissa omnia, qui ab æterno paravit hoc regnum. In hoc regno omnia sunt, quæ possunt desiderari, ut vita, lux, libertas, sanitas, gaudium, pax, voluptas, honor, gloria.

2. Non solum credi debet, sed et optari hoc regnum et peti a Deo super omnia bona: regnum, inquam, supernum, cœleste, immortale, quod oculus non vidit, nec auris audivit, in quo vita sine morte, lux sine tenebris, gaudium sine tristitia.

3. Peccant illi, qui raro cogitant de hoc regno et minus desiderant, immo sic amant regnum mundi, ut nunquam sint parati, cum a Deo vocantur ad hoc regnum, quia placent illis minima et vilissima bona mundi, quibus inebriantur et saturantur, unde moriuntur inviti et ægre discedunt ex hac vita, vana sectantes.

4. Veri fideles sic debent vivere semper, ut parati sint, immo desiderent *dissolvi et esse cum Christo* et in regno ipsius, ut sint cohæredes ejus ac socii Sanctorum et cives cœlestis Jerusalem, quia expectant nos Sancti.

Ex quibus causis homo sic debet accendi ad vitam cœlestem?

1. Quia est voluntas et ordinatio Dei, ut electi illic habeant patriam et civitatem manentem et diem æternitatis.

2. Si Christum amamus, optare debemus gloriam ejus in vincendis hostibus et in subjiciendis malis, qui in regno gratiæ tam male se gerunt et bonos offendunt; agnoscetur autem in ultimo judicio Rex regum et Dominus dominantium, omniaque illi subjecta erunt, quia nullum malum sinet impunitum et regnum suum tradet Patri.

3. Crux, contemptus, fames, pestis, flagella, adversa omnia conferunt, ut ad Christi regnum aspiremus mundique bonis diffidamus, quia vana, caduca, fallacia et periculosa, nullam dant pacem conscientiæ, non satiant animam. Opes non satisfaciunt avaris, nec honores superbis, nec voluptates carnalibus. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua* (Ps. 16, 15). *Replebimur in bonis domus tuæ.* (Ps. 64, 5).

4. Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra.

Duæ præcedentes petitiones exigunt cognitionem, fidem, spem et invocationem Dei, qui et sit Pater noster et in cœlis habitet et regnum habeat, qui sit dignus ab omnibus cognosci, laudari, coli et desiderari cum suis bonis æternis et cœlestibus. Sequitur tertia et necessaria petitio de via et medio perveniendi ad Deum et gloriam illius : nempe ut voluntas hominis

cum voluntate Dei conformetur. Nam Dei voluntas est prima et summa et æterna causa eorum quæ bene fiunt, et sine qua nihil in mundo fieri potest. *Omnia enim, quæcumque voluit, Dominus fecit in cœlo et in terra.* (Ps. 134, 6); ejus *sapientia pertingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter* (Sap. 8, 1). Hæc voluntas est omnipotens, et ideo non potest impediri, quin fiat, quod facere vult efficaciter, quia potest omne impedimentum tollere, omnemque defectum supplere et assistere et cooperari in naturalibus et gratuitis ad bonum et perfectum effectum naturalem vel supernaturalem. Unde scriptum est: *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus* (Ps. 110, 2). Hæc voluntas tam bona ac sancta, ut nihil mali admittat, numquam peccet, nihil cupiat inordinati; tam recta, ut obliqua esse nequeat. Vult igitur et omnes homines salvos fieri, quantum in se est, ita ut nec salvetur ullus, nisi per ipsius voluntatem et directionem. *Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis* (Matth. 18, 14); et Pauli dictum est: *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra* (1 Thess. 4, 3).

Quomodo voluntas Dei nobis innotescit?

1. Ex dictamine rationis naturalis, quæ nostræ voluntatis est regula et congruit cum Dei voluntate tanquam regula. Sic ethnici legem habent inscriptam cordibus et *naturaliter, quæ legis sunt, faciunt* (Rom. 2, 14), ut honorando parentes, præstando fidem proximo, non lædendo alios aliaque servando, quæ sunt in

decalogo. Unde nemo excusatur, si agit contra rationem, sive sit fidelis sive infidelis, et in hoc excellit homo brutis, rationis expertibus, ut motus animæ nesciant regere.

2. Innotescit per Scripturam, quæ proponit præcepta, prohibet et suadet multa. Certo igitur in Dei verbo Dei voluntatem cognoscimus et quasi in speculo videmus bona consectanda et mala fugienda.

3. Per statuta et doctrinam Matris Ecclesiæ (Prov. 6, 20) et per doctores ordinarios, a quibus populus instrui debet et se capacem reddere Spiritus a Christo promissi Ecclesiæ, quia is docet omnem veritatem. *Labia sacerdotis custodient scientiam et legem requirent de ore ejus* (Mal. 2, 7).

4. Per effectus Deus indicat, quædam sibi placere, ut zelum Phinees, quia placatus fuit populo (Num. 25, 11), precationem Ecclesiæ pro Petro (Act. 12, 5).

5. Per revelationes, quæ factæ sunt Moysi de mundi creatione, prophetis aliis, Josepho, sponso Mariæ.

Vult autem Deus, suam fieri voluntatem ab homine; vult, ut a peccatis avertatur per contritionem, confessionem et satisfactionem; vult, ut conversus ambulet et procedat in via justitiæ, nec declinet ab illa; *hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra;* vult, eum semper meliorem effici et sanctiorem, ut ipsum devote colat, ipsi debitum cultum præstet religiose, serviat intus et foris, corde et corpore, in meditatione, oratione et gratiarum actione ipsique sit subjectus; vult, ut quisque se ipsum regat et contineat in humilitate,

sobrietate, castitate, patientia, disciplina; vult, caritatem et misericordiam erga proximum exerceri corde, ore et opere, ut ædificetur et in bono promoveatur a nobis; vult, christianos esse servos, amatores et imitatores Christi Domini, ut vivant juxta ejus præceptum et exemplum. Nihil Christo debemus præponere, nihil magis amare ac quærere, quia ipse totum se dedit pro nobis, humiliavit se, factus est homo et filius hominis, vir dolorum, amator, pastor, sacerdos et rex noster!

Multum refert, ut sciat quisque, quod habeat liberum arbitrium, quod cogi non potest, seu propriam voluntatem a Deo donatam; in quo et ipsi Deo conformatur, et sine quo non esset homo rationalis, et quo excellit omnibus brutis. Sine hac nec peccare, nec mereri posset homo. Licet autem homo non habeat liberum arbitrium, sicut primus homo habuit in statu justitiæ originalis, sed infirmum et debile et ad malum inclinatum, postquam justitiam originalem amisit: christianus tamen tantam accepit gratiam, ut possit malum declinare et bonum facere secundum Dei voluntatem, neque aliter quidem justus et salvus esse potest, nisi conformando se Dei voluntati cognitæ et præscriptæ. Hæc propria voluntas est, qua peccamus, et quæ, si peccamus et in peccato morimur, semper ardebit apud inferos et in malo obfirmabitur, ut superbia damnatorum ascendat semper usque ad blasphemiam et obstinationem in omni malo, sicut etiam in dæmonibus factum est. Quod ad bonam voluntatem

attinet hominis, nihil habet homo melius et ditius ad offerendum et tribuendum Deo. Per hanc desinit esse servus diaboli et efficitur filius Dei, estque clavis ad regnum cœlorum. Per hanc datur et accipitur pax cum Deo et Angelis omnisque gratiæ spiritus. Hac sola meremur et grati sumus Deo in prosperis et adversis. Sine hac nec spes, nec via est ad Dei gratiam et gloriam impetrandam. Per hanc amamus Deum et in illum convertimur et efficimur unus spiritus cum eo.

Quæ nos excitant ad frequenter orandum: *fiat voluntas tua*?

1. Quia in paucis cognoscimus Dei voluntatem, utpote natura cæci; nihil minus cognoscimus quam Deum et spiritualia. Sumus pueri imprudentes, ludicris et vanis rebus dediti, vagantes et tarde discentes prudentiam, semper indigentes pædagogo; magis curamus scire inutilia, quam Dei voluntati et saluti nostræ convenientia; sæpe erramus in illis, quæ boni speciem habent, appetentes, quæ non conveniunt, et crucem declinantes.

2. Quia naturam et voluntatem habet quisque repugnantem Dei voluntati, quamdiu vivit. Unde pugna continua inter spiritum et carnem, inter rationem et sensualitatem, quia vivere non possumus sine tentationibus contra Dei voluntatem nos sollicitantibus, et quia ex fragilitate naturæ quotidie peccamus et deficimus a lege Dei, et ex illis, quæ cognoscimus Deum velle, pauca facimus et proin ad bene operandum in

via lubrica et merendum egemus non solum cognitione, sed et confortatione. Hinc opus nobis orare : *Fiat voluntas tua :* sc. ut, quod tu vis nos facere, sciamus et faciamus ; quod tu prohibes, caveamus ; quod tu suades, impleamus. Sed opus est nos humiliare, quod sæpe aliter facimus, quam oramus ; mentimur enim sæpe, dicendo : *Fiat voluntas tua ;* quia scienter quærimus et petimus, non divinæ, sed nostræ voluntati placentia et refugimus, quæ Deus non solum vult, sed etiam jubet. Peccamus non amantes ex animo et quærentes Dei voluntatem bonam, beneplacentem et perfectam in consiliis evangelicis, et idcirco non esurimus et sitimus justitiam nostræ vocationi congruentem ; confundimus nos ipsos ita dicentes, quando sumus in paupertate, obedientia et adversis impatientes, morosi et proprii sensus tenaces, ut dicere non possimus : *Domini voluntas fiat* (Act. 21, 14) ; *paratum cor meum* (Ps. 56, 8) ; *sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum* (Job 1, 21). Et sic privamus nos omni consolatione, utilitate et gratia, quæ contingit obedientibus, quia non de manu Domini accipimus omnia, neque intellectum et affectum Dei providentiæ et voluntati subjicimus.

Sicut in cœlo et in terra.

1. Sensus est, ut, sicut cœlestia, sol, luna, planetæ parent voluntati Dei et ordinationi in suo cursu, sic etiam homines faciant in terra constituti ; spiritus hominis obediat Deo, et spiritui caro, et ita fiat totus homo spiritualis et feratur in Deum, *cor meum et*

caro mea exultent *in Deum vivum*, non impediat nos colluctatio inter carnem et spiritum, sed sit concordia.

2. Sensus est, ut cupiamus et studeamus esse plus quam servi, qui sæpe faciunt voluntatem domini sui, sed ex timore potius quam ex amore; nostrum enim est discere et præstare obedientiam Angelorum et Beatorum, qui sponte, læte, alacriter suum officium faciunt. Angeli et Beati nulli errori sunt obnoxii, non sunt dubitantes, sed certo scientes quæ sit Dei voluntas; flagrant amore Dei, sine quo nihil agunt, nec cupiunt, de nullo magis gaudentes quam de actu obedientiæ, nihil majus et magnificentius et nobilius ducentes quam Deo servire et obedire. Obedientiam suam non maculant ullo vitio, sed semper innocentes et indefessi in opere perseverant; non turbantur Dei judiciis et punitione, malorum mundique calamitatibus et mutationibus variis, sed in omnibus se voluntati divinæ perfecte conformant, pleni semper caritate et confirmati in gratia, unde nec possunt illi repugnare, sicut nec damnati illi acquiescere. Cum nos autem ad peccandum incitent fragilitas naturæ, caro propria, mundi blandimenta vel terriculamenta, dæmonis insidiæ, petimus a Deo, ut, quantum hujus vitæ cursus et fragilitas permittit, faciamus ejus voluntatem, sicut Beati in cœlis, agendo, quæ præcepit, fugiendo, quæ prohibuit, desiderando, quæ promisit, amplectendo, quæ suasit. Non potest esse melior oratio quam hæc optare.

5. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Non satis est a Deo sperare et petere gloriam regni et media, sicut gratiam, sed et infima bona, quæ ad corpus et vitam spectant vel victui sunt necessaria. Opus enim habet quisque cibo, potu, vestitu, domo vel habitatione, aëre, somno, cibi digestione: hæc enim omnia nomine panis continentur, ut apud Lucam (14, 1): *Et factum est, cum intraret Jesus in domum cujusdam principis pharisæorum sabbato manducare panem.* Dicemus ergo primum de pane exteriore et postea de interiore.

I. Præsens petitio ex mente Christi nos admonet de sapientia Dei non solum creantis, sed etiam conservantis, defendentis et promoventis hominem in vita animæ et corporis; volentis et homini tanquam filio in domo sua providere, sed non sine medio orationis in hoc exilio, ubi durat super nos illa sententia: *Maledicta terra in opere tuo* (Gen. 3, 17). Unde petivit etiam Salomon: *Mendicitatem et divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria* (Prov. 30, 8). *Quærite*, inquit Christus, *primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis* (Matth. 6, 33). *Dominus pascit me, et nihil mihi deerit* (Ps. 22, 1). Nota miram et miserabilem indigentiam hominis, qui sive sit rex, sive cæsar, debet se humiliare et fieri mendicus et petere a summo Deo eleemosynam, quia eget misericordia Dei singulis

momentis ad vitam et sanitatem corporis sustentandam contra hostes et pericula. *Omnia enim*, inquit psaltes, *a te expectant, ut des illis escam in tempore* (Ps. 103, 27). *Propter nomen tuum, Domine, deduces me et enutries me* (Ps. 30, 4). Nota Dei bonitatem, quotidie largientis plura quam petimus, immo etiam benefacientis iniquis et improbis, quia facit solem suum oriri super malos et bonos, et pluit super justos et injustos. Magna est largitas donantis tam multa non necessaria, pulchra, speciosa, pretiosa, odorifera, medicinalia, lauta, palatum delectantia. *Habentes autem alimeta, et quibus tegamur, his contenti simus* (1 Tim. 6, 8); et tamen providet nobis de carne, pisce, vino, melle, saccharo, fructibus aliisque multis, ut sæpe divites abundent et ædificent nova horrea vel castella emant et agros, nec sciant finem divitiarum. Quam bonus et largus erit hic Pater in cœlesti patria, si nunc in exilio se filiis tam humanum exhibet, sicut filio prodigo. Nota, quid nobis religiosis hic sit meditandum et orandum, nempe nobis opus majore fiducia, sicut Apostolis, quibus dictum: *Nolite possidere aurum* (Matth. 10, 9); sicut et primis discipulis. Opus est plene nos committere Domino, qui libentius dat, quam nos accipimus. O quam bonum Patrem habemus, qui, licet illi voverimus paupertatem, interim tamen non minus, sed plus habemus, quam plurimi sæculares, præsertim hoc tempore defectum multiplicem sustinentes, immo et præ inopia pereuntes! Peccamus hic, quoties murmuramus ob defectum

aliquem contra Superiores, sicut filii Israel contra Moysen et Aaron. Peccamus intemperantes, superflua desiderantes; sæpe enim, ubi putatur necessitas, est superfluitas, et sic promissam paupertatem violamus. Peccamus ingrati erga Deum et Superiores pro muneribus quotidie perceptis, qui indigni sumus pane, quo vescimur, quod non magis proficimus in nostra vocatione, quibus injungitur: »Paupertas, ut murus religionis firmus, diligenda et in sua puritate conservanda est: diligant omnes paupertatem, ut matrem, et ejus effectus experiantur"; quodque magis sumus solliciti de corpore quam spiritu nutriendo nimiumque solliciti in crastinum, nec amantes puram paupertatem, matrem nostram, sed quærentes in multis sensualem delectationem, non veram necessitatem ad sustentandum corpus, ne succumbat in labore et Dei servitio. Peccamus raro precantes pro plurimis pane indigentibus in hac annonæ caritate.

II. Quod vero ad panem spiritualem attinet, constat, illum non minus nobis necessarium et a Deo petendum esse quam panem corporalem. Unde (Prov. 9, 5): *Venite, comedite panem meum et bibite vinum, quod miscui vobis. Non enim in solo pane vivit homo* (Matth. 4, 4). Petendus est ergo ille, qui se animæ nostræ cibum fecit, dicens: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi* (Joan. 6, 51); et qui propterea se nobis in forma panis tradidit ac reliquit, præbens confortationem et virtutem. Egemus hoc pane pauperes, ut roboremur, consolemur, sustentemur in

via spirituali, donec ambulemus usque ad montem Horeb. Accipiunt hunc panem fideles caritate præditi et digne Sacramento utentes. Datur autem non tantum sacramentaliter, sed et spiritualiter, cum reficimur per fidem, spem et caritatem.

Per panem intelliguntur etiam dona Dei peculiaria, ut consolationes spiritus, illuminationes intellectus, ardor caritatis, præsertim in sacra communione. Visitat etiam quosdam Deus et cibat pane lacrymarum et spiritu compunctionis : *Cibabis nos pane lacrymarum* (Ps. 79, 6). Est etiam panis verbum Dei auditum, lectum vel meditatum, omnisque consolatio vel exhortatio, mentem reficiens et de ore Dei procedens. Tali pane Scripturæ nunc indigemus, ut cibemur pane vitæ et intellectus. Væ illis ægrotis, alimenta non sumentibus vel sumpta non tenentibus, quia de horum vita desperatur !

Quomodo proficiemus ex pane Sacramenti, qui est panis confortans cor hominis et delectans sicut manna, panis filiorum non dandus canibus, panis supersubstantialis, præcipuus et peculiaris, quia panis vitæ et Angelorum ?

1. Colligendo dispersiones cordis.

2. Præparando sedem hospiti Christo per memoriam passionis ejus : *Hoc facite in meam commemorationem.*

3. Adferendo famem spiritualem.

4. Talem hospitem, qui quotidie venit cum benedictione, quamcumque voluerimus, scilicet ut sit doctor,

paracletus, redemptor, sacerdos, rex, hospes, sponsus animæ, medicus, reverenter accipiendo, tractando, cum illo familiariter versando et se committendo tali medico curandum, illum consulendo, audiendo.

Sicut autem petendo panem corporalem petimus omnia corporali vitæ necessaria, sic petendo panem sacramentalem petimus et omnia vitæ spirituali animæ necessaria.

6. Et ne nos inducas in tentationem.

Non sufficit petere et accipere veniam peccatorum; non suffecit Apostolis, nec Petro : en pericula præsentia, en hostes, cum quibus nulla pax, nullæ induciæ fieri possunt. Non agitur hic de omnibus tentationum generibus, quia tentat et Deus, sicut Abraham et omnes justos, qui probantur igne tentationis, sed de viis et occasionibus ad peccatum inducentibus, sicut proxime de peccatis actum fuit, de viis ad peccata provocantibus intus vel extra, præsertim de satanæ tentationibus, qui est insidiator ut serpens, callidus ut vulpes, rugiens ut leo, non quiescens, donec vel devoret vel lædat servos Christi.

I. Pro certo habendum, nulli deesse tentationem in hac vita, quæ tota est tentatio super terram; *caro enim concupiscit adversus spiritum* (Gal. 5, 17). Ubique tentamur, in esu et potu, in vigilia et somno, in divitiis et paupertate; caro non potest expelli, nec fugari; diabolum videre non licet, qui sagittas habet

iram, invidiam, luxuriam, velut jacula ignea, quibus anima vulneratur. Nihilominus tentatio est homini utilis et necessaria, ut seipsum et suam fragilitatem agnoscat, ut præservetur contra elationem, ut Deum invocet et honoret, ut purgetur et illuminetur, ut proximum rectius juvet. Tolle tentationes: ubi patientia, fortitudo, constantia et aliæ virtutes gignerentur, conservarentur et alerentur? *Omnes, qui pie volunt vivere, persecutionem patientur* (2. Tim. 3, 12). Immo quo sanctiores amici Dei, eo magis probantur tentationibus, ut Abraham, Job, Tobias, Paulus, Antonius. *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te* (Tob. 12, 13).

Discimus, dæmonem cum suis tentationibus nihil contra hominem posse, nisi quantum illi permiserit Deus, cujus auxilium et gratia roborat fideles ad vincendas tentationes quaslibet. *Vigilate* igitur *et orate, ut non intretis in tentationem* (Matth. 26, 41). Deus potens est in baptizatis, ut non consentiant concupiscentiis, sed resistant omni tentationi, et ut fructum ex illa colligant et coronam in cœlo mereantur. Hinc petimus ne subtrahat nobis Deus gratiam auxilii sui, quo a consensu tentationis custodimur et præservamur a lapsu, præsertim cum pugnandum est contra hostem tam fraudulentum, exercitatum, potentem et magnis copiis instructum, qui et sanctos et fortes sæpe devicit, et quotidie vincit: *Cibus ejus electus* (Habac. 1, 16); cum pugnandum contra carnem, quæ est hostis, cum quo pax non potest haberi; est enim impatiens disci-

plinæ, assidue murmurat, nullo timore cohibetur, rationi non obtemperat. Sed et pugnandum est cum mundo, nos alliciente per prospera, ut decipiat, et terrente per adversa, ut frangat, et qui difficilius vincitur in blandis quam in adversis. Item difficilius vincitur tentatio a carne quam ab hoste externo procedens.

II. Quæ maxime notanda circa tentationes?

Ne fallamur cum optantibus pacem et libertatem a tentationibus, nec credamus nos esse securos, licet graves tentationes non sentiamus, sed potius idcirco timeamus nobisque displiceamus. *Qui enim non est tentatus, quid scit* (Eccli. 34, 9)? Non potest seipsum cognoscere, nec proximum adjuvare, nec coronam accipere.

Cavendæ tentationes graviores, quæ solent hominibus contingere, ut sunt dubitatio de fide, desperatio de misericordia Dei, spiritus blasphemiæ contra Deum et Sanctos ejus, desiderium sibi inferendi manus, perplexitas conscientiæ querulosæ, præsumptio, pigritia, ignorantia sui et propriorum defectuum, neglectus et contemptus proximi sine compassione: hæ sunt astutiæ et fallaciæ dæmonis. Cavendæ tentationes et bonis sæpe occurrentes et multos illaqueantes, ut desperatio et pusillanimitas, quasi a Deo sint derelicti, instabilitas in sua vocatione, vilipensio obedientiæ, præsertim in cultu Dei, ad immodica aspirare, quæ vires excedunt in rigore vitæ, non ponderare et examinare defectus quotidianos et remorsus conscientiæ, amor sui et sensualitatis, nulla adhibere arma ad victoriam sui contra

tentationes et passiones naturales, sed ex consuetudine cuncta facere, nec serio pugnare, sicut decet religiosum in conspectu Dei, crassum esse ut non moveamur vel timore pœnarum vel magnitudine præmiorum, non fugere occasiones malorum, sicut curiositates, vanitates, et excessus sensuum, non habere pudorem sponsæ in conspectu sponsi sui ambulantis, non amare, sed fugere mortificationem, præsertim hoc sacro tempore, sinere se falli specie boni atque virtutis, nec consulere Deum in operando, spectare exempla potius infirmorum quam fortium et amare similes sibi neque curare perfectiores. Contra omnes igitur tentationes nos tueri et armare debemus sic orando: »et ne nos inducas in tentationem", ne sinat nos tentari supra id quod possumus, sed ut faciat etiam cum tentatione proventum ut possimus sustinere, utque satanam conterat sub pedibus nostris, quod factum est Joseph, Susannæ, Job. Ducem et Pontificem habemus Christum. *Confidite*, ait, *ego vici mundum* (Joan. 16, 33). Tamen opus est arma arripere contra satanam, qui vincitur oratione, labore, vigilia, abstinentia, castitate. Secus satanæ resistere non possumus.

III. Qui communes defectus circa tentationes?

1. Non vigilare contra vigilantem et potentem hostem.
2. Non examinare conscientiam.
3. Non studere in libro animæ.
4. Sub specie boni decipi.

5. Ambulare in tenebris, donec aperiantur oculi in hora mortis.

6. Milites esse inermes.

7. Ex consuetudine procedere.

8. Sequi infirmiores.

9. Vivere in falsa securitate, timorem Dei, qui est custos virtutum et meritorum, excludente et faciente hominem sicut civitatem sine muro et domum sine clausura.

7. Sed libera nos a malo.

Hæc pars ultima precationis cum præcedenti connecti potest, ut petamus non solum vincere tentationem per Dei gratiam, sed etiam a malo liberari, quasi dicamus: non solum non inducas nos in tentationem mali seu peccati, sed etiam ab omni malo nos libera, quatenus saluti nostræ expedit. Non autem expedit nos omnino liberari a tentatione, quia tota vita hominis non est nisi tentatio et militia super terram, et quotidie, quamdiu versamur in hoc mundo, inter laqueos ambulamus, et fructus nobis ex tentatione colligendus, ut nempe tentatio nobis sit purgatio peccatorum, cognitio nostræ infirmitatis, merendi occasio et augmentum victoriæ. Ita scimus etiam, quod non possumus omni pœna omnino carere post baptismum acceptum, quia omnes, qui pie volunt vivere, in corpore et anima multa debent sustinere et crucem quotidie portare, ut habeant exercitium patientiæ, con-

stantiæ, fortitudinis et humilitatis ; immo et vim sibi inferre debent.

1. Petimus autem a malo liberari, ut non prævaleant contra nos dæmon, caro, mundus, sed ut pœnæ nobis illatæ sint medicinales, quamdiu militamus in hoc mundo.

2. Petimus, pœnas hujus vitæ nobis non contingere propter peccata nostra vel aliorum, sicut plerumque accidit, nos iræ divinæ flagellis et miseriis multis puniri. Nam propter unum Achan, qui furatus erat aliquid in castris, punivit Deus totum populum, ut multi occiderentur ab hostibus, nec voluit placari Deus, nisi fur ille combureretur cum omni substantiæ sua (Josue 7, 5). Peccavit David populum numerando, et iratus Deus percussit populum pestilentia, ut perirent septuaginta millia virorum (2 Reg. 24, 15). Peccavit Jonas per inobedientiam, et punivit Deus socios ejus, in navi navigantes, per magnam tempestatem (Jon. 1, 3).

3. Petimus, ne in adversis et pœnis deficiamus ac pusillanimes vel impatientes simus sicque malum potius augeamus, ut sæpe faciunt ægroti queruli et murmurantes, non agnoscentes manum Domini, visitantis eos virga sua, sicut Job agnovit, dicens : *Sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum* (Job 1, 21). Sic et David se humiliabat in cruce, dicens : *Bonum mihi, quia humiliasti me* (Ps. 118, 71). *Paratum cor meum* (Ps. 56, 8).

4. Petimus liberari a tribulationibus et pœnis, ut scilicet mitigentur nobis et aliis, neque occasionem peccandi præbeant, et asperitas illarum aliquid boni in nobis operetur, sicut medicina amara confert ægrotis ad sanitatem.

5. Petimus liberari a meritis pœnis purgatorii in futura vita. Nam ignis ille, licet non sit æternus, tamen mirabiliter gravis est et omnes pœnas hujus vitæ superat, et debetur hæc pœna omnibus, qui sua peccata non puniunt vel fructum conversionis et pœnitentiæ differunt. Petimus ab hoc malo liberari, si non in toto, saltem in parte, ut pœna mitigetur, utque, pœnas alias suscipiendo, gravem illum ignem effugiamus. *Domine, hic ure, hic seca, ut in æternum parcas.* Quod enim punit Deus in præsenti, non puniet in futuro; non enim punit bis id ipsum. Dein orandum pro defunctis, ut ab hoc malo liberentur.

6. Petimus liberari a pœna damnationis æternæ, id est, præservari a gehenna per remissionem peccatorum, et agnoscimus nos reos iræ divinæ, nostris peccatis debitæ in hac et futura vita, si Deus judicare nos velit secundum justitiam suam.

7. Petimus liberari a multis malis quotidie occurrentibus, quod habeamus pronitatem ad malum, pigritiam ad bonum, oblivionem Dei et bonorum in memoria, obscuritatem et errorem in intellectu, proprium sensum et voluntatem in appetitu, in cultu Dei torporem, in carne rebellionem, in agendo infirmitatem, in temporalibus sollicitudinem, in præceptis inobedientiam,

in oratione negligentiam, in tentationibus dormitantiam, in labore difficultatem.

8. Petimus non solum pro nobis, sed et pro vicinis, amicis, cognatis et catholicis omnibus, qui hoc tempore a Deo terribiliter visitantur in omnibus elementis, in bello, fame, peste, sicut Christus fore prædixit in fine mundi. Regnant caro, mundus et dæmon, fide deficiente, et caritate refrigescente propter peccata quotidiana et publica, sive præterita sive præsentia, quia mundus in dies fit deterior, augetur ira Dei et crescunt pœnæ, ut orantes etiam boni non exaudiantur. *Nos inique egimus et ad iracundiam provocavimus, idcirco tu inexorabilis es* (Thren. 3, 42).

Nota: 1. Nos esse culpabiles ex ignorantia et oblivione malorum nostrorum ex parte corporis et animi, et idcirco non recte oramus, nec lugemus in hac misera vita, plena ærumnis (Job 14). In peccatis concepti et nati, ad malum proni, inter hostes et laqueos, *omnia vanitas*, foris et intus pugnæ. Non optamus migrare in patriam, sed potius manere in exilio, amamus odienda, non præparamur ad æterna.

2. Culpabiles sumus, parum notantes hujus sæculi tribulationes et flagella et pericula, a quibus liberari Ecclesiam boni omnes in utroque statu exoptant. Propria mala magis nobis cordi sunt quam communia.

3. Culpabiles sumus, negligentes mala commissa et bona omissa, dum præsentia pericula et futuras pœnas meritas, horrendum judicium Dei et mortem incertam non recogitamus.

IV. EXHORTATIONES IN RENOVATIONE VOTORUM ALIISQUE QUIBUSDAM OCCASIONIBUS HABITÆ.

1. De renovatione votorum (1).

Sum in bona spe, quod omnes hic præsentes libenter acceptent ordinem et statutum Societatis, ut quotannis quædam renovatio bis instituatur. Posset autem forte quis circa hanc votorum renovationem bis in anno instituendam movere quæstionem, an ergo non liberum cuique sæpius vota sua renovare, an ergo non recte et laudabiliter nostri vota sua renovent diebus festis et dominicis, quando communicant, immo quotidie tempore tentationis vel difficultatis. Jam si quis piam hanc habeat consuetudinem, nonne superflua illa specialis renovatio, a nostris bis in anno instituenda? Ad hoc respondeo breviter, valde laudabilem fructuosamque esse devotionem illorum ex nostris, qui singulis hebdomadis vel etiam singulis diebus vota sua renovant, denuo confirmant et Deo offerunt, præsertim quando experiuntur consolationem vel tribulationem et tentationem, nec quisquam in hoc debet impediri. Cum enim bonum et laudabile sit, juxta doctrinam

(1) Oeniponte d. 5. Augusti, quo anno incertum, sed ante a. 1580.

Ecclesiæ catholicæ votis religionis se Deo obstringere, sic etiam procul dubio bonum et meritorium est eadem vota Deo facta libera et devota voluntate renovare et confirmare, quod multum confert ad hominis interioris renovationem et vitæ emendationem, quam Apostolus ab unoquoque pio fideli exigit his verbis : *Renovamini spiritu mentis vestræ et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis* (Eph. 4, 23); ut sic quotidie exhibeant se hostiam viventem, sanctam, Deo placentem. Attamen sapienter et laudabiliter instituta sunt certa tempora in Societate, quibus illi, qui nondum professi sunt, bis in anno sua vota et se ipsos renovent, et quidem cum certis specialibus cærimoniis.

Hæc ordinatio prodest tum Superioribus, tum inferioribus. Superiores quidem optimam sic habent occasionem melius cognoscendi suos fratres et subditos, num omnes sint vere viva membra Societatis, num omnes in sua vocatione sint constantes, num oves ipsis commissæ sint omnes unius coloris et ad idem ovile pertineant, num omnes debitam præstent obedientiam regulasque observent paratique sint cum Dei gratia in sua vocatione et juxta suam vocationem vivere et in ea mori, quid demum de illis sperare et expectare habeant. Prodest hæc renovatio etiam omnibus nostris, ut quisque secum dispiciat, quis sit status conscientiæ suæ, num revera coram Deo et Superioribus suis possit hoc de se testimonium reddere, se a tempore ultimæ renovationis emendasse defectus et

regulas exacte servasse et in via spirituali profecisse. Quodsi quis etiam non defecerit et cum gratia Dei se in bono statu conservaverit, magnum nihilominus fructum ex renovatione consequetur, quia scilicet excitabitur ad progrediendum cum novo fervore in via Dei et ad æmulandam majorem perfectionem, sicut scriptum est : *Qui justus est, justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc* (Apoc. 22, 11). Nam cum Paulo et ipse confiteri debet, se nondum comprehendisse bravium supernæ suæ vocationis, ac proin debet et ipse, quæ retro sunt, obliviscens, ad ea quæ sunt priora, extendere seipsum (Phil. 3, 13), id est, non contentus acquisito jam sanctitatis aliquo gradu, ad altiorem eniti debet. Si quis vero deprehenderit, se ab ultima renovatione non multum profecisse in spiritu, seque forte defecisse, is procul dubio fatebitur, sibi opus esse renovatione, ut seipsum agnoscat ac humiliet, ut a somno torporis excitatus surgat, ut malos humores, spiritualem sanitatem impedientes, medicina purgativa expellat, et ut, si forte tanquam ignavus miles e prælio contra hostes spirituales fugerit, novos resumat animos et denuo revertatur ad prælium, fortius pugnaturus et gloriosius triumphaturus. Ceterum hæc renovatio, si bene instituat confessionem generalem cum vera contritione cordis et eam ornet operibus pœnitentiæ et vitæ emendatione, multum ei proderit ad reparandos defectus et negligentias vitæ anterioris et ad ædificandos fratres exemplis vitæ ferventioris. Sed supersedeo omnes illas renovationis utilitates

recensere, quas nos ipsi et alii sæpe experti sumus hoc sacro tempore, cum scilicet nos humiliaremus coram Superioribus et fratribus, cum peteremus veniam, castigaremus corpus et conciperemus nova proposita vivendi juxta nostram vocationem et regulas et expugnandi serio principaliores defectus agnitos, divino nos illustrante lumine.

Sed, etiamsi esset inter nos aliquis tam perfectus et spiritualis, qui non indigeret hac renovatione communi, eo quod soleret quotidie spiritu se renovare, et sic se in vitæ fervore conservaret, licet nulla visitatio et nulla toto anno renovatio institueretur, is nihilominus non deberet gravari hac renovatione, sed libenter eam suscipere tum propter bonum suum, tum propter bonum Societatis, quia medicina est excellentissima, non solum purgativa, curativa, sed et præservativa et confortativa. Sic sunt multi pii fideles, qui sponte sua sine præcepto multum jejunant per annum, orant et sacramenta frequentant: num propterea abroganda tempora constituta ab Ecclesia ad jejunandum, orandum et ad frequentanda sacramenta? Certe non; opus est ordine et statutis et ordinationibus, et ratio habenda communis turbæ et non paucorum, qui præceptis non indigent, eo quod ex sincero Dei amore sponte sua malum fugiunt et bonum operantur. Justo lex non est posita, ut ex timore faciat eam, sicut Judæi ut servi coacti servabant legem, seipsos quærentes et amantes magis quam Deum et ejus justitiam et Patris voluntatem. Agendæ gratiæ Deo, quod Patri Ignatio

inspiraverit, ut legem traderet de hac solenni renovatione quotannis instituenda et hactenus utiliter observata in Societate, licet aliis religiosis sit ignota et fortasse minus necessaria.

Dicam :

I. Quæ nos excitare debeant ad renovationem sine gravamine et cum desiderio faciendam;

II. Cur multi renovantes non sentiant fructum, nec inde emendentur.

I. Gaudere debet vota renovaturus, quia 1. exercet latriam, exercet opus catholicum, declarat testimonium fidei suæ catholicæ, et quantum dissentiat ab hæreticis, fidei hostibus, quorum mos est contemnere vota religiosa et laudare votifragos, apostatas.

2. Exercet non solum opus veræ fidei vivæ, operantis per caritatem, sed et spei in Deum, qui potest et vult gratiam suam largiri homini infirmo. *Fidelis enim est Deus, qui non sinit nos tentari supra id, quod possumus, sed facit cum tentatione proventum* (1. Cor. 10, 13). Dat gratiam voventibus, ut experiantur, quod in ipso confortante possint vincere hostes suos, immo possint omnia : *Omnia possum in eo, qui me confortat* (Phil. 4, 13). Dein et laudabiliter exercet fidem et spem suam in Christum et in ejus gratiam et promissionem gratiæ. Certa enim promissio Christi, *qui est via, veritas et vita* (Joan. 14, 6) : *Petite et dabitur vobis ; quærite et invenietis* (Matth. 7, 7). Hanc promissionem Christus implevit a tot sæculis in viris et mulieribus, qui religionem voverunt et se illi

ut sponsas tradiderunt et sua corpora in templa sancta et domos spirituales consecrarunt, et hodie adhuc implet. O sancta fides, quæ illuminat filios Dei et ita confortat in spe, ut confidant, se cum gratia Dei posse debellare carnem et mundum, et ita incendit amore Dei, ut jugum Domini cum votis susceptum eis sit suave et onus leve et jucundum!

3. Gaudere debet vota renovaturus, quia ostendit se verum et obedientem Abrahæ patris filium, quoniam, sicut ipse, audit vocem Dei dicentis: *Egredere de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui et veni in terram, quam monstrabo tibi* (Gen. 12, 1); conformat se Apostolis et facit opus Apostolorum, quod Christus ab illis exegit, ut nempe relictis retibus sequerentur ipsum pauperem, castum et obedientem.

4. Exercet opus evangelicum a Christo prædicatum, laudatum et præmio cœlesti dignum declaratum, uti est relinquere domum, agros, amicos, fratres, parentes, item castrare seipsum propter regnum Dei et præterea seipsum abnegare, crucem suam tollere, et per viam angustam intrare ad vitam. Hæc enim omnia præstat, qui more Societatis vovet vel vota renovat et confirmat; nam his votis se totum Deo obligat, quod velit mundo mori et carni abrenuntiare, et se totum Dei servitio tradere et devovere et ei penitus dedicatus esse, ac proin plus promittit, quam in sancto baptismo. Etenim religiosus non solum renuntiat diabolo et operibus ejus, sed et se privat omni potestate bona propria possidendi vel proprium

quid retinendi, privat se omni voluptate carnali, etiam licita christianis in matrimonio. Postremo religiosus se privat libertate edendi, bibendi, dormiendi, habitandi et agendi pro suo arbitrio, quoniam propter Deum ad id se obligat, ut per omnia subesse et obedire velit Superiori, in parvis et magnis, sine delectu et contradictione, et quidem per totam vitam.

5. Gaudendum renovaturo vota, quia a Deo habetur et suscipitur ut nobilis, ut eques spiritualis, ut rex spiritualis, cujus scilicet est vincere mundum et seipsum; immo conformat se tribus regibus, qui Christum quæsierunt et, divinum puerum inventum adorantes, ipsi tria munera pretiosa, immo seipsos obtulerunt.

6. Quicumque vota renovamus, gaudere debemus, quia hac renovatione denuo spiritualiter baptizamur, ungimur a Spiritu Sancto et confirmamur, exuimus veterem hominem cum actibus suis, et induimus novum hominem et finus novæ creaturæ. In memoriam eductionis nostræ ex Ægypto et servitute Pharaonis in terram sanctam religionis, celebramus quasi Pascha et edimus azymos et cantamus læte alleluja, accipimus nova dona Spiritus Sancti, quibus illuminamur, purgamur, confortamur, desponsamur Christo sponso, qui ornat nos veste nuptiali et pretiosis monilibus; exhilaramus Angelos, contristamus dæmones. En quam bonum est nobis adhærere Domino et gustare, quam suavis et bonus sit Dominus his, qui recto sunt corde!

II. Quibus de causis vero sæpe fit, ut renovatio hæc quibusdam minorem fructum adferat?

Causæ sunt ignorantia et inconsiderantia nostra, inconstantia, falsa securitas, defectus amoris practici erga Societatem, et tandem defectus internæ legis caritatis.

1. Nescimus, ignoramus, non pensamus satis, quid sit seipsum offerre, quam sit solennis actus hæc renovatio votorum, quæ fit coram tot Angelis et testibus, quanti momenti et quam grata Deo sit hæc nostri oblatio, nec quantum sit pondus renovationis, cum promittimus Deo immortali, quod velimus esse mortui mundo et ejus bonis temporalibus, carni et cunctis ejus concupiscentiis repugnare et in nulla re propriam, sed Superioris nostri facere voluntatem, et quidem non ad tempus, sed in perpetuum. Inde fit, ut hæc oblatio, per quam quisque nostrum se totum Deo offert, plus illi placeat quam omnia sacrificia cruenta, quæ illi in templo Salomonis offerebantur. Est hæc nostri oblatio thus et thymiama odoriferum in conspectu Dei. O quantum lætantur Angeli, cum in eorum conspectu socia exultatione renovamus nostra vota, quibus damus gloriam Deo et pactum cum eo initum confirmamus, nosque ad ei perfecte serviendum et ad expugnandos ejus et simul nostros hostes in perpetuum obligamus et obstringimus! Qui hæc serio perpenderit, procul dubio stupebit admiratione et non facile postea obliviscetur, ad quid se obstrinxerit.

2. Deest multis constantia. Conformamur in hoc nonnihil filiis sæculi, Pascha devote celebrantibus; isti enim ante Pascha jejunant, pœnitent, confitentur sua peccata, communicant et valde devote se habent in ecclesia, sed heu! post Pascha brevi refrigescit eorum fervor, discedunt in Emmaus, antiquas vias repetentes, et sic sua levitate brevi iterum perdunt, quæ lucrati erant. Sic nos ante renovationem humiliamus nos coram Superioribus et fratribus, petimus veniam, facimus pœnitentiam et flagellationem, confitemur et promittimus multa; et paulo post *itur in antiquam silvam*, non sumus fervidi nisi ad tempus, temporalis nostra devotio, parva tentatio apprehendit nos et præcipitat, ut simus æque impatientes, contentiosi et negligentes sicut antèa. Utinam essemus constantiores in propositis nostris post renovationem et cogitaremus illud verbum Christi quasi unicuique nostrum dictum: *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat* (Joan. 5, 14)! Sicut enim valde meritorium est se votis Deo obstringere, sic valde periculosum est, in illis infidelem esse, quia Deus odio habet rapinam in holocausto (Is. 61, 8).

3. Falsa persuasio et securitas et hinc conscientia larga et conversatio inordinata et facilis transgressio regularum, dum scilicet nobis persuademus, sufficere externam observationem trium votorum. Dum enim non contendimus perfecte observare vota nostra secundum spiritum, non satisfacimus obligationi, quam contraximus; etenim vota nostra in se continent et

exigunt a nobis quasi omnimodam perfectionem, exigunt sincerum Dei amorem, veram spiritus humilitatem, angelicam corporis et mentis munditiem, omnem nostri abnegationem et immolationem et obedientiam perfectam: uno verbo continuam imitationem Christi, qui fuit exemplar perfectissimum consiliorum suorum evangelicorum. Nullus potest esse vere pauper, qui non simul etiam sit patiens et non solum sentiat, sed et amet crucem, qui non sciat *abundare et penuriam pati*, qui non diligat paupertatem ut matrem et non paratus sit Christum Dominum ducem suum sequi in nuditate, fame, siti, necessitate et tribulatione. Nullus potest vere castus esse, qui non simul carnem suam odio habeat et non studeat veterem hominem mortificare et crucifigere cum concupiscentiis suis. Nullus potest esse vere filius obedientiæ, qui non simul sit simplex et instar ovis sinat se regi a suo pastore. Idcirco valde mirum est, nos post nuncupata vota nostra esse adhuc cum voto paupertatis tam impatientes, cum voto castitatis tam parum mortificatos, et cum voto obedientiæ, promissæ non in uno, sed in omnibus, non uni Superiori, sed cuilibet, non in unum annum, sed perpetuum, esse tam imperfectos in obedientia tum in executione externa, tum in unione voluntatis et judicii nostri cum voluntate et judicio Superiorum.

4. Non amamus Societatem, bonum ejus commune, ut conservetur et crescat, voluntatem Superiorum, regulas et ordinationes, disciplinam et modestiam

religiosam, ædificationem proximi in fide et moribus; non adhæremus corpori ut membra viva, et in multis nos ipsos amamus et quærimus. Deest nobis genuinus spiritus Societatis operativus per caritatem.

5. Deest nobis ignis divini amoris, sive quia procedimus ex consuetudine quadam et inclinationibus nostris naturalibus et non ex puro Dei amore, cui nos totos obstrinximus et cujus servitio nos totos impendere deberemus, etiamsi nullæ extarent regulæ, nulla visitatio institueretur, nullæ pœnitentiæ imponerentur. Si arderet in nobis hic ignis, non regnaret tanta curiositas, inutilis in externis occupatio, impatientia, fastidium, negligentia et pigritia in servitio Dei, frigiditas in oratione et meditatione aliisque rebus spiritualibus, aversio a mortificatione.

2. De renovatione votorum. Halae 9. Julii 1580.

Merito pro magna et speciali gratia habere debemus, quod, hoc anno vota nostra renovaturi, simul indulgentiam magnam jubilæi consequi possumus. Hæc duo certe bene et pulchre concordant. Jubilæum sacrum enim nos tristes et gravatos potenter consolatur plenaria peccatorum omnium remissione et offert nobis occasionem solvendi omnia nostra debita seu obtinendi relaxationem pœnarum temporalium et ita purgandi animas nostras ab omnibus noxis et sordibus, ita ut non debeamus timere nec accusantem satanam, nec

tremendum Dei judicium, nec pœnas inferni aut purgatorii, si esset nobis moriendum. Renovatio vero nos admonet, ne in vanum gratiam Dei recipiamus, et docet nos, quomodo, ut novi homines, vel sicut Paulus dicit, ut novæ creaturæ et tanquam filii Dei, in gratia èt innocentia persistere, in puritate nos conservare et velut parvuli crescere et corroborari, in via Dei progressus facere debeamus; dat nobis et arma ad expugnandos et fugandos hostes et dat nobis media consequendi finem vocationis nostræ, ut scilicet apta fiamus instrumenta ad nos aliosque salvandos et perfectiores reddendos. Magna certe et ineffabilis gratia jubilæi, si recte illam acceptamus secundum mentem Pontificis, et tanta, pro qua quælibet anima purgatorii totum mundum daret, ut saltem ad dimidiam horam uti posset; sic enim cito a pœnis liberaretur. Timeo, ne forte quosdam nostrum pœniteat aliquando tantam gratiam neglexisse. Major autem utilitas est renovationis, si fiat ex vero spiritu et corde puro, quia totum hominem facit perfecte spiritualem et unit cum Deo. Audistis autem sæpius his diebus de indulgentiis, unde et de illis non agemus, sed solum de renovatione:

I. QUANTI SIT ÆSTIMANDA;

II. AD QUID SIT INSTITUTA ET NOBIS SERVANDA IN SOCIETATE;

III. QUI ILLAM SIBI INUTILEM REDDANT.

I. Cara nobis esse debet memoria pii Patris Ignatii, qui ex instinctu Spiritus Sancti constituit,

ut in Societate quotannis vota renovarentur. Novum et speciale et laudabile inventum est beati Patris Ignatii, et confirmari potest ex multis rationibus et utilitatibus inde consequentibus.

Primum enim talis votorum iteratio et renovatio habet adjunctam generalem confessionem peccatorum et poenitentiam publicam, quam unusquisque petit a suo superiore, et sacram quoque communionem; unde sequitur, quod, quicumque vota sua renovat, in multis bonis operibus se exerceat, nimirum:

1. In opere catholicæ fidei, quam profitetur quisque, certo credens de sacramentis, votis et statu religioso, quod catholica fides hactenus tenet contra novos hostes veteris Romanæ Ecclesiæ.

2. In opere humilitatis, quæ mater est virtutum, dum accusat se et ostendit se peccatorem seque coram Deo et Superioribus et fratribus humiliat.

3. In opere pœnitentiæ interioris et exterioris, sine qua non fit vera pro peccatis satisfactio coram Deo et Ecclesia.

4. In opere caritatis erga fratres, dum reconciliamur cum omnibus, quos domi verbo vel opere offendere potuimus, quæ caritas expressum habet mandatum Christi in Evangelio, et ubi talis non est reconciliatio, nullum votum aut sacrificium Deo placet.

5. In opere fortitudinis, vincendo pudorem et timorem veteris Adæ, qui mavult sua vitia tegere quam prodere et confiteri et expiare.

6. In opere justitiæ, quod requirit Deus a fidelibus omnibus, ut qui quotidie peccamus in regulas nostras et dormimus sæpe in via Dei et in multis recedimus a perfectione spirituali, ad quam nos obstrinximus, etiam bis in anno purgemur, et nos zelatores et amatores justitiæ ostendamus, et novum quasi certamen contra nos ipsos gerere incipiamus novumque fervorem contra veterem torporem assumamus. Hic Deo quasi restituimus, quod ipsi abstulimus, et idcirco novam facimus oblationem, petentes prius veniam, et promittimus emendationem. Item sicut malum sæpe exemplum fratribus dedimus, ita nunc renovando vota ædificamus omnes, dando testimonium, nobis priorem vitam displicere, et novum nos habere propositum vota nostra et regulas melius observandi. Sic vident illi opera nostra bona et excitantur ad laudandum Deum et ad bene sperandum de nobis et ad instaurandum suum erga nos amorem.

II. Hæc renovatio magnum est medium ad gubernationem Societatis confirmandam et promovendam. Cum enim accedit Superior ad visitandum, videt, audit et cognoscit commode suos subditos ac velut prudens pastor discernit inter oves, quas nempe habeat sanas et fortes, quas infirmas et debiles, quas scabiosas et inficientes alias. Facit sicut bonus hortulanus, intelligens, quæ arbores, quo loco plantandæ, ut rectius crescant et magis fructificent. Facit ut sagax capitaneus, observans suos milites et ordinans eos in exercitu, ubi stare et pugnare, qui præesse et

subesse debeant. Facit ut sollicita mater, curam habens præcipuam filiorum, sed parvulos delicatiores aliter tractans quam alios robustos et sciens, qui lacte, qui pane et solido cibo indigeant. Servit hæc renovatio ad bonum subditorum, ut cognoscant se, ut humilientur, ut purgentur a medicis spiritualibus, ut purgati sanentur et confirmentur in via Domini; servit nobis omnibus et singulis hæc renovatio, ut melius agnoscamus nos ipsos fragiles et miseros, quomodo proficiamus vel deficiamus in vocatione nostra, quomodo regulas bene vel male observemus, an augeatur in nobis studium perfectionis et virtutum, sicut obligati sumus.

Deficientes in Societate humiliantur et erubescunt, quum rationem villicationis suæ reddere non possint, uti deberent, nec Superioribus et multo minus scrutatori cordium, Deo; moventur auctoritate majorum et exemplo fratrum ad suas inordinationes non solum cognoscendas, sed et corrigendas, ad surgendum post lapsum, ad petendam Dei gratiam sibi necessariam, ut vere plerumque renoventur et reformentur in homine interiore; rursus excitantur ad multa opera bona exercenda, ut humilitatis, interioris et exterioris pœnitentiæ, caritatis fraternæ, pietatis et christianæ fortitudinis.

III. IMPEDIMENTA PROFECTUS ET RENOVATIONIS.

Procedimus ad agenda nostra ex quadam consuetudine; non movemur ex puro amore illius, cui nos totos obtulimus et obligavimus, ut, etiamsi non extarent regulæ, totos nos illius servitio impendere

deberemus. Attendimus inclinationibus nostris naturalibus et passionibus et tentationibus magis molestis, sed non adhibemus remedia efficacia.

Non petimus a Deo, spiritum germanum Societatis nobis concedi.

Hæremus in externis, circa externa nimis solliciti versamur, et nos totos effundimus, curiosi in sciendo, vehementes in contendendo, excusando, indefessi in recreatione; sed nolumus esse interni; socordes et negligentes sumus in oratione mentali et vocali, in examine, in custodia sensuum et in spiritualibus rebus aut devotione, præcipites in spiritu Marthæ, et agentes raro in spiritu Magdalenæ.

Nostram commoditatem quærimus, ubi possumus; curamus, ne quid desit, parum zelosi in procuranda salute et perfectione nostra et proximi, qui tamen est scopus præcipuus. Non quærimus, sed fugimus mortificationem.

Nonne ad quemque nostrum intonat illa Dei vox: *Habeo adversum te, quod caritatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque, unde excideris, et age pœnitentiam, et prima opera fac* (Apoc. 2, 4. 5)? Quid ergo faciemus, ut vere novi homines hoc tempore coram Deo reddamur?

Invocemus SS. Trinitatem et imploremus germanum spiritum Societatis. Petamus a Superiore, ut nos juvet interrogando, supplendo et consulendo. Excitemus in nobis desiderium sequendi vestigia Christi, capitanei nostri. Proponamus nobis certam virtutem,

cui simus intenti, et statuamus adhibere diligentiam ad facienda exercitia spiritualia et examen particulare. Simus amatores Dei, boni communis, orationis sive devotionis et mortificationis, adoremus Deum in spiritu et veritate et satisfaciamus votis nostris.

3. De renovatione votorum. Friburgi a. 1583.

Posset mirari aliquis, cur Superiores in collegiis omnibus urgeant, ut bis in anno vota renoventur et circa renovationem multa observentur, sicut ex antiquo more novistis. Nam quisque humiliat se coram Superiore, petens, dari sibi pœnitentiam pro commissis et omissis contra regulas; humiliat se coram fratribus, petens veniam de offensis et scandalis, et, quantum in ipso est, desiderat se omnibus et singulis reconciliare; quodsi quis nollet ab iis, quos offenderit, veniam petere, peccaret velut expers debitæ caritatis erga Deum et proximum, eique suaderem, ut non iret ad communionem, nisi facta prius reconciliatione, quia rex irascitur, videns, intrasse in nuptias eum, qui non habeat vestem nuptialem, nec vult illi remittere non remittenti, nec ullum opus aut sacrificium ejus acceptare. Usitatum est, unumquemque se parare ad rationem conscientiæ et confessionem generalem, ut manifestet Superiori et confessario suam conscientiam, nude et cum humilitate seipsum accusans de his, in quibus defecit contra regulas; breviter: opus internæ et externæ pœnitentiæ requiritur. Certo die fit reno-

vatio in certo et bene ornato loco, cum certis verbis a quolibet apte recitandis ante communionem, quæ verba sunt seria et notabilia, nos obligantia sub pœna amittendæ salutis æternæ. Solent etiam nostri post renovationem se recreare in prandio, mittere sua *ad pedes Apostolorum* (Act. Ap. 5, 2.), mutari quædam officia; novam faciem accipit collegium, quasi purgatum esset a sordibus, et omnia in suum locum iterum reposita.

Dicam ergo:

I. Ob quas causas fiat hujusmodi renovatio.

II. Qui se impediant, quominus verum fructum renovationis percipiant.

III. Quæ præcipue sibi quisque proponere debeat, bene se renovaturus.

Nullus dubitare, sed certo credere debet, Patrem nostrum Ignatium ex spiritu Dei recte et utiliter instituisse, dictam renovationem et votorum iterationem a nobis fieri oportere:

1. Ex parte Superiorum, ut melius cognoscant statum filiorum sanorum et ægrotorum; hoc enim proprium est pastorum, cognoscere oves, ut eas rectius regant et pascant eisque provideant juxta necessitatem; quo enim melius noscuntur, eo melius juvantur.

2. Ex parte fratrum, ut ædificentur, cum vident signa humilitatis et pœnitentiæ, victoriæ sui, bonæ voluntatis, zeli et fervoris in nostra vocatione. Sic excitantur ad caritatem et ad imitandum nos in bono et ad confirmandam quoque suam vocationem.

3. Ex parte cujusque, ut habeat occasionem recordandi et considerandi, utrum in sua vocatione proficiat an deficiat, in quibus egeat medicina correctionis, quomodo utatur armis spiritualibus, regulis, quem ordinem servet erga Superiores, fratres et Deum ipsum, præsertim autem in tribus votis. *Redde rationem villicationis tuæ* (Luc. 16, 2).

4. Ob generalem utilitatem et necessitatem. Sumus Adæ filii, in multis deficientes, ad malum propensi; egemus medicina curativa, confortativa et præservativa. Grave jugum Adæ super nos, *vanitati creatura subjecta est* (Rom. 8, 20); *homo nunquam in eodem statu permanet* (Job 14, 2); eget igitur auxilio et renovatione. Sumus ut Elias in via dormiens, egemus Angelo excitante; sumus subjecti morbis et malum gerimus sanguinem, egemus purgatione annua; peregrinamur in deserto, non sumus in gratia confirmati, egemus timore et pædagogo et mediis multis in longa via, ut lege, Moyse, petra, manna, admonitione. In memoria sumus obliviosi, in intellectu cæci vel obscuri, in voluntate inconstantes, infirmi et frigidi, in carne proclives ad terrena et inordinatum amorem proprium, in pugna sæpe fragiles et labiles; egemus ergo renovatione. Judæi egebant voce clamante, Petrus galli cantu, Lazarus clamore Christi.

II. Quæ impedimenta nobis circa renovationem communiter occurrant?

Credo, inquis, et accepto renovationem ut opus bonum, utile et laudabile, Deo gratum et nobis omni-

bus salutiferum. Sed eo etiam bene et sapienter uti debemus, pura voluntate optantes a Superiore dirigi, sicubi deflexerimus. Non autem utitur eo recte, qui ex sola consuetudine accedit, ut faciat sicut alius, parvam interim aut nullam sentiens voluntatem cum fructu se renovandi. Non utitur recte hoc medio spectans externa verba in formula : voveo paupertatem, quia nullam habeo pecuniam propriam ; voveo castitatem, quia cælebs volo esse; voveo obedientiam, nisi sit mihi grave et contrarium. Non utitur recte hoc medio, qui conformat se sæcularibus ad tempus devotis et statim post Pascha recidivis. Non utitur recte, falsam habens securitatem et raro ponderans, ad quid obligetur religiosus coram Deo plus quam sæcularis, et quo se extendant vota promissa, quamque periculosum sit in religione negligere gratiam et vivere irreligiose, sine spiritu, devotione, mortificatione, studio veræ perfectionis, quasi sit satis vitare mortalia et foris satisfacere. O quam pauci vere emendantur et proficiunt, quia pauci sentiunt zelum proficiendi in se et zelum animarum, spiritum mortificationis, amoris boni communis et devotionis ! Multi sunt scilicet, qui vocationem suam non tanti æstimant et faciunt, ut decet; versantur in Societate ex consuetudine, non cum desiderio in spiritu proficiendi, scopum ipsum attingendi et pure faciendi omnia, nec armant se oratione sancta contra hostes et impedimenta; servant paupertatem, sed non amant ut matrem, tenent castitatem, sed non angelicam, obedientiam servant, sed retenta voluntate

propria et judicio suo. Sumus ut Martha solliciti et curiosi circa externa, excusamus nos vocati ad cœnam, dispensamus nobiscum, non relinquimus retia, non relinquimus, non circumcidimus veterem hominem, non intramus per angustam portam. Non superamus impedimenta ex parte confessarii, ut ei plene confidamus et petamus interrogari, juvari et dirigi; ex parte defectuum, tentationum, passionum, affectuum, in quibus fixi manemus, non curantes remedia, secure ambulantes; ex parte virtutum solidarum, quarum studio non serio incumbimus; ex parte intentionis puræ in omnibus; ex parte proximi cum vero zelo juvandi; ex parte amoris erga Deum, bonum commune, devotionem, mortificationem.

III. Quid autem opus ad bonam renovationem?

1. Gratias agere oportet Deo vocanti et sustinenti et expectanti. Unde nos vocavit et quo adduxit? ubi aluit hactenus? Quid Societas nostra? nonne vinea nova, mons altus, civitas refugii, spiritualis Jerusalem? Quid essemus, nisi vocasset?

2. Humiliare nos oportet coram Deo, cui tam multum debemus, tam parum pendimus et rependere possumus. *Maledictus, qui facit opus Dei negligenter* (Jer. 48, 10). Quis fructus post accepta tot beneficia, post tot media, tot exhortationes, tot inspirationes, tot exempla?

3. Proponere diligentius paupertatem servare, ut diligamus eam sicut matrem et ut thesaurum, quia eam Christus elegit et in ea suos probat amicos et

hos in ea vult sibi esse conformes. Cogitabo de meo errore, qui volui servare paupertatem, ut nihil deesset, sine patientiæ usu, sine affectu relinquendi et contemnendi, quidquid non est necessarium naturæ, quæ tam paucis contenta est. Proponam servare castitatem angelicam ob sponsum Christum, ut contra ejus hostem pugnem usque ad mortem, et excitem ignem divinæ caritatis, semper cogitans : Fiat cor meum et corpus meum immaculatum. Proponam servare obedientiam cæcam, cum simplicitate paratus æque ad omnia, ut jumentum, quidquid imponitur ; ut oculi Superioris sint oculi mei, cor ejus cor meum, judicium ejus judicium meum. Quidquid jubet, vox Dei est.

Mirare bonitatem Dei, qui non eget nostris votis et tamen suscipit ea gratanter, remuneratur perpetuo, benedicit conferens novam gratiam ad ea servanda, pascit, custodit nos per Angelos, per Superiores, per elementa, corporaliter et spiritualiter.

4. Proponere emendationem in vitiis et defectibus corrigendis, in virtutibus exercendis, in regulis cunctis servandis.

Nota regulam secundam de fine et scopo Societatis ; nonam, ut mundo ac proprio amori mortuus Christo soli vivat ; undecimam : omnino et non ex parte abhorrere ab omnibus, quæ mundus amat et amplectitur, et ardenter amare, quæ Christus amplexus est, indui eadem veste et insignibus Christi ; duodecimam : in omnibus quærere majorem sui abnegationem et continuam mortificationem ; vigesimam primam : omnes

suum tempus rebus spiritualibus impendant: orationi, meditationi, lectioni, examini bis faciendo, et devotioni quærendæ insistant.

Adjuvantes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis (2. Cor. 6, 1). *Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis* (Eph. 4, 23).

4. De renovatione votorum. anno 1585.

Appropinquat tempus ad renovanda vota juxta veterem morem Societatis, et idcirco præcedere debet exhortatio. Jam tempus ipsum omnes nos hortatur ad majorem renovandi promptitudinem et devotionem, cum, post peracta læta festa Natalitia, novum mox annum incipimus, quod non sine gratia Dei nobis contingit, et in eo celebrabimus festum dulcis et venerandi Nominis Jesu, quod est festum proprium Societatis, et in quo stat basis nostræ Societatis. In nullo enim alio nomine est salus, gloria et fortitudo nostra, in nullo alio invenimus consolationem et robur apud Deum. Hoc festum est quasi festum encæniorum nobis ad renovationem votorum deputatum. Pulchre enim nos admonet, ut, sicut Jesus Christus in novo anno novam oblationem eamque valde pretiosam fecit Patri, cum primitias sui sanguinis effudit ut verus agnus et unicus redemptor mundi, sic et nos nostram faciamus oblationem, id est, nos totos per ipsum offeramus et

consecremus Patri in odorem suavitatis cum hac nova nostrorum votorum renovatione. Faxit Deus, ut eorum renovatio feliciter et cum fructu fiat non solum in hoc loco, sed per totam Societatem, utque per illam novus annus novam nobis et efficacem gratiam afferat ad consolationem et utilitatem Ecclesiæ ubique gentium. Statui autem nonnulla vobis exponere, quæ ad bonam et salutarem renovationem faciendam omnibus et singulis prodesse possunt, ne alioquin in opere tam sancto nos impediamus nosque debito fructu privemus contra mentem Patris Ignatii et Superiorum.

1. Ad bonam renovationem proderit ad eam impelli non ex timore servili, sed ex spiritu fidei, obedientiæ, ex sincera cordis devotione, ex amore Dei. Unicuique dicendum cum propheta: *Voluntarie sacrificabo tibi* (Ps. 53, 6). *Hilarem enim datorem diligit Deus* (2. Cor. 9, 7). Ad hoc juvabit considerare exemplum Magorum, qui admoniti stella, magno animo e longinquo venerunt et Christo sua munera obtulerunt.

2. Proderit nobis considerare gratuitam et mirabilem vocationem a Deo nobis factam, quum nos ex procelloso mari hujus mundi in hanc Societatem quasi portum salutis, de tenebris ignorantiæ ad hanc cognitionum lucem vocavit et a tot periculis liberatos transtulit in hanc domum, in qua tot beneficia nobis contulit et media ad bene et religiose vivendum, recogitando præsertim, quis, quos, unde et quo et quare, ad quid et quomodo vocaverit. Dein quisque secum reputet, quomodo in tali vocatione se gesserit;

scrutetur vias suas et quærat, ut cognoscat suos defectus, suam ingratitudinem, suam pigritiam in via spirituali, et seipsum judicet et arguat, justumque concipiat animi dolorem, exemplo Petri amare flentis peccatum suum ex fragilitate commissum, sicque recogitando veterem annum in amaritudine animæ suæ, disponat se ad renovationem et ad inchoandum annum novum etiam in novitate spiritus.

3. Proderit invocare Dominum pro vera illuminatione, purgatione et curatione peccatricis animæ : *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis* (Ps. 50, 12), ut, per sanguinem Domini ab omni macula purgati, possimus resurgere et fieri populus acceptabilis et sectator bonorum operum (Tit. 2, 14). Ad hoc petenda nobis est nova Dei gratia per Beatam Virginem, per patronos nostros et sanctos alios apud Deum intercessores, eosque invitabimus ad nostram renovationem.

4. Non parum juverit excitare voluntatem nostram ad perfectionem finis et mediorum consequendam, et ad novum zelum et studium nos intus et foris renovandi nosque ad novam conversationem et operationem inflammandi, perinde ac si quisque sibi ipsi dicat : Tu debes renovare et reformare spiritum tuum et tibi sæpius proponere finem tuæ vocationis, ut diligentius vaces saluti et perfectioni tum animæ tuæ tum proximi. Tu debes magis considerare et ponderare tria media tibi proposita ad finem vocationis tuæ assequendum,

ut scilicet perfectius renunties omnibus mundi bonis per sanctam paupertatem, corpori et sensualitati per sanctam continentiam et propriæ voluntati per sanctam obedientiam, sicque fias perfectum holocaustum Deo gratum verusque discipulus Jesu in sancta ipsius Societate. Conjice tuos oculos in primos Patres et fratres, qui te præcessere, et qui cucurrerunt in stadio et jam acceperunt bravium, et sic currendum tibi, ut et tu comprehendas (1. Cor. 9, 24). En media! *Ecce tempus acceptabile* (2. Cor. 6, 2)!

5. Cum hac voluntate conjungamus magnam fiduciam de assistentia divinæ gratiæ pulsantis et adjuvantis; Spiritus enim Sanctus cupit in nos ingredi et nobiscum mansionem facere, nostram infirmitatem adjuvare, incepta in nobis perficere, dona sua confirmare et augere ad sui nominis gloriam et ad aliorum salutem, quamvis indigna simus instrumenta et vasa in hoc instituto. O quam magna vis hujus fidei et fiduciæ apud Deum, per quam pugnavit Chananæa, Christumque ligavit et vicit, ut audiret: *Magna est fides tua, fiat tibi sicut vis* (Matth. 15, 28)!

6. Ad bonam renovationem etiam conducit suam examinare conscientiam et animi dispositionem, an parati simus, non solum perseverare in Societate et cum gratia militare sub Christi vexillo usque ad mortem, sed et an parati simus perseverare æquo animo in gradu et ministerio præsenti, cum vero desiderio et proposito perfectius Deo serviendi, quam hactenus

fecimus, et an resignatam haberemus voluntatem in casu, quo sequenti anno mutatio quædam fieret circa valetudinem corporis ob morbum, vel circa vitam ob mortem, circa locum, si alio mitteremur, vel circa officium, in quo magis gravaremur vel probaremur; immo etiam an sentiamus verum desiderium patiendi aliquid ab hæreticis et aliis pro Christo, et parati simus bibere calicem cum nostris fratribus et in sanguine nostro baptizari cum Innocentibus et cum sancto Thoma Cantuariensi martyrium subire pro Christo et fide nostra catholica. Christus enim hoc tempore incepit nostros probare, sicut aurum in igne, vultque, ut membra Societatis resistant mundo et falsis doctrinis hæreticorum usque ad sanguinis effusionem.

7. Magni etiam refert circa renovationem specialem curam habere earum regularum, quas sæpius solemus transgredi; armare nos contra eas inclinationes, passiones et imperfectiones, ad quas sumus procliviores; exercere nos in vincenda propria nostra voluntate in illis, quæ nos a simplicitate obedientiæ remorantur, et tandem cavere nobis ab illis distractionibus, quæ nos in cultu Dei, in amore Dei et in oratione præcipue impediunt. Sed hic opus est forti proposito spiritualiter nos circumcidendi et reformandi, et ut nos magis ad hoc excitemus, cogitemus, hunc novum annum forte ultimum esse nobis datum ad emendandum nos, ad serviendum Domino et ad laborandum et operandum pro ejus gloria.

5. De renovatione votorum, 1586.

Instat tempus, quo tria nobis consideranda et peragenda proponuntur: concludere veterem annum et novum inchoare, festum nominis Jesu cum fructu celebrare et renovare vota in Societate facta. Hæc tria possunt et debent nobis ad multa bona servire.

1. Ut cogitemus de præteriti anni tempore cum dolore, quod majorem fructum ex illo non ceperimus, sicut proposueramus et nostra vocatio requirebat; ubi non est hæc agnitio et contritio, deest basis boni anni et bonæ renovationis.

2. Ut cum sollicitudine et timore novum annum auspicemur, cum nesciamus, quid in illo nobis obventurum sit, et multi putent, fore tristia multa, et non minus spiritualia quam corporalia pericula timenda sint sapientibus.

3. Indigemus arte sanctificandi nomen Jesu in nobis, ut vere dicamur et simus de hujus nominis Societate. *Dominum exercituum ipsum sanctificate, ipse pavor vester et terror vester. Et erit vobis in sanctificationem* (Isai. 8, 13. 14). *Dominum Christum sanctificate in cordibus vestris* (1. Pet. 3, 15). Non sanctificat hoc nomen in se, qui non pure propter ipsum incipit et finit sua desideria, vota, proposita, opera, sed aliud quærit et spectat præter ipsum, ita ut non illi sapiat et dulcescat et placeat hoc nomen in omnibus et super omnia.

4. Quia vota sunt nobis renovanda coram Deo, Maria et cœlesti curia et nova facienda promissio, quæ ex parte nostra ad mortem usque durabit, quærenda nobis media ad solvendum hoc tantum debitum, quo nos totos corpore et animo offerimus Deo et Societati, ut, quidquid voluerit, nobiscum agat; *multo melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere* (Eccl. 5, 4). De his mediis comparandis postea agemus, ut omnes intelligant, Jesum parvulum, natum in Bethlehem, nobis sufficere pro omnibus aliis mediis, si illum velimus amplecti, de quo dixit Isaias propheta (9, 6): *Parvulus natus est nobis et filius datus est nobis*. Hic puer statim, quando natus est, ostendit exemplar fortitudinis in se et media, quæ sui servi et amici, præsertim religiosi, deberent notare et sibi per totam vitam commendata habere seque in illis renovare. Non opus est hic verba et præcepta Christi expectare, sed operibus ipsis loquitur puer, quæ postea docturus et facturus erat, et quæ a suis etiam discipulis fieri vellet, si cuperent, Christum in suis animis nasci spiritualiter et Christum in ipsis habitare. Sine hac spirituali nativitate nihil prodest confessio Christi facta in Bethlehem et canere: *Dies est lætitiæ*. Verbum caro factum debet in nobis habitare, Bethlehem debet esse nostra schola, in qua discamus, quæ Christus fecerit et suis facienda docuerit, licet omnino taceret: *Exemplum enim dedi vobis* (Joan. 13, 15). Quomodo nobis Bethlehem serviat ad nostram renovationem? Norunt sapientes omnes, Bethlehem electam esse a

Christo non solum in patriam suam, juxta Michæam (5, 2), sed et in scholam nostram et omnium discipulorum suorum, maxime autem religiosorum.

Vis, frater, vota tua cum fructu renovare?

1. Respice hunc infantem, qui quasi peregrinus venit de cœlo et divertit in hoc exilium, non ad quiescendum, sed laborandum, non ad regnandum, sed ad militandum. Ita nemo renovat bene vota nisi cum serio proposito, ut, relicta patria et amicis, tanquam pauper peregrinus incipiat Deo servire et expectet varias tentationes et cruces, per quas transire oportet Christi socios et amatores.

2. Respice hunc infantem, quomodo utatur rebus hujus mundi ad solam necessitatem humanæ naturæ sustentandæ. Debuit habere locum ad cubandum, lac ad potandum, vestem ad induendum, matrem ad educandum, sed in his omnibus necessitate contentus fuit et nihil admisit superfluum.

3. Respice paupertatem infantis, qui non habet domum propriam suam vel parentum, sed stabulum, non lectum, sed fœnum, non locum ad caput reclinandum, non parentes nisi pauperrimos, non amicos nisi pastores; *non erat* illi et parentibus *locus in diversorio*, sed clausa illis omnia. Christus paupertatem eligit, gustat, experitur, arguit mundi filios et divites. Nonne igitur libenter viam paupertatis debemus amplecti, quam Christus natus statim elegit et gustavit et retinuit, donec in alieno sepulchro reconderetur? *Cum dives esset, propter nos egenus factus est* (2. Cor. 8, 9).

ut paupertatem ornaret et commendaret, divites autem terreret. Clamat ex præsepi: *Beati pauperes* (Matth. 5, 3); *qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (Luc. 14, 33).

4. Respice puerum tam pure conceptum et natum ex Virgine; nasci noluit nisi e Virgine, votum habente, quod et sponsus ejus emiserat, factus sponsus virginum, quia processit tanquam sponsus, et Apostolos elegit, qui post acceptum Spiritum Sanctum in castitate vixerunt et viam castitatis suaserunt fidelibus, et tot millia virginum in odorem unguentorum suorum traxit. Hic puer vult esse sponsus omnium veram castitatem servantium, et qui se ipsos castrant propter regnum Dei, hos vult æternis præmiis coronare. *Qui potest capere, capiat* (Matth. 19, 12). *Et cognoscent Ægyptii Dominum in die illa, colent eum in hostiis et in muneribus et vota vovebunt Domino et solvent* (Isai. 19, 21).

5. Ad obedientiam nos potenter excitat parvulus, cum se præbet et permittit totum suæ Matri et ab ea vincitur et involvitur fasciis. En pulchrum exemplum obedientis, qui non potest esse sapientior Christo, nec major et melior, sed debet se totum permittere Superiori, quasi ligatus et captivus, non habens potestatem se movendi. Quomodo Christus mundum intravit? Statim voluit ligari et involutus in præsepi jacere, nullam sui habens potestatem. Quomodo idem exivit ex mundo? *Tradebat judicanti se injuste* (1. Pet. 2, 23). Pilatus Jesum tradidit voluntati Judæorum. Deinde foderunt manus et pedes ejus clavis, ut cruci affixus

moreretur. Post mortem acceperunt corpus ejus et ligaverunt illud linteis cum aromatibus, quare postea Petrus intrans sepulchrum vidit linteamina illic posita (Joan. 20, 5). O mirabilem et sanctam obedientiam, quam Christus etiam infans confirmavit, volens non solum Matri obedire sed etiam Joseph: *Erat* enim *subditus illis* (Luc. 2, 51), immo et Augusto, ethnico Cæsari, ostendens se cum suis parentibus subditum Romano imperio, sicut et postea docuit omnes obedire, dicens: *Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari* (Luc. 20, 25). Monet Christus exemplo suo, ne fidamus humanæ rationi, quæ dictat et suggerit sæpe, hominem per vota facta impediri potius quam promoveri ad bene merendum de proximis; si enim haberet propria, posset sæpe opera misericordiæ præstare pauperibus, posset per se et per suos prodesse reipublicæ, sicut multi conjugati laudabiliter faciunt, posset per se et sine consilio et scitu Superioris Deo servire, jejunare et orare, in operibus caritatis et pietatis se exercere, sicut Abraham, David, Tobias multique alii Sancti die et nocte sine votis se exercuerunt. Nunc vide, quomodo se Christus gesserit in Bethlehem; poterat nasci dives et lautus, sicut filii regum, et sui amorem et admirationem excitare; videtur secundum carnem otiosus plane, inutilis, nihil sciens nisi dormire, ex uberibus Matris lac sugere, plorare et lamentari: docet interim res ipsa contrarium, quod hic infans sit valde negotiosus, diligens, vigilans, non amittens unum punctum temporis et multa præclara faciens in cœlo,

unde facit venire Angelos in terram; in aëre, ubi cœlestis exercitus canit; super terram, ubi vocat, admittit et illuminat pastores, primos amicos, sicut et postea Magos adducit per stellam. Pastores facit suos oratores et legatos apud multos, qui mirabantur audientes. Lætificat Matrem mirabiliter et dat illi, sicut et Joseph, plenam fidem ad adorandum mysterium, ordinat consilia Augusti et Cyrini præsidis, ut nescientes etiam serviant suæ nativitati compleantque Scripturas. Nonne mirabilis hic puer, qui quando se maxime contrahit et se infirmissimum ostendit et pauperrimum inter omnes mendicos et pueros, tamen divinam virtutem suam exerit et extendit ad multos! Hoc exemplo nos admoneamur, virtutem nostram, quam pro nostra vocatione proferre et retinere debemus, primum interiorem esse debere, ut bene confirmemus hominem interiorem et efficiamur veri parvuli et crescamus in spiritu ac incipiamus docere exemplo et opere, sicut Christus, qui *cœpit facere et docere* (Act. 1, 1). In quibus autem monstrat Christus hoc solidum fundamentum ad ædificandum in nobis spiritum et quæcumque sunt spiritualia? En servat perfectum silentium, cum haberet perfectam artem et gratiam loquendi, nec posset peccare; abstinet a risu et amare plorat non solum in nativitate, sed et in circumcisione; non curat, quæ sine peccato poterat cum aliis pueris assumere, sicut lectum, servos et ancillas, vestes et supellectilem, sibi et puerperæ necessariam. Contemnit hæc omnia et eligit sibi dura seu aspera et quasi cum

ratione pugnantia vel certe carni prorsus contraria et, velut si cruce et pœna delectaretur, pro lecto capit fœnum, immo præsepe durum. Plus experitur fidelitatis a bove et asino quam ab omnibus popularibus. *Cognovit enim bos possessorem suum et asinus præsepe domini sui* (Is. 1, 3). Noluit habere tectum, voluit nasci in media hieme et noctis tempore, nec salutari primo nisi a pauperrimis et rusticanis. Unde per se patet, multos etiam e nobis decipi per humanam prudentiam et veterem Adam, quando nobis persuademus, religiosis nobis non esse necessarium studium mortificationis et castigationem corporis et abnegationem nostri. Volumus enim esse pauperes, sed sine actuali paupertate, humiles sine despectu et obedientes in his, quæ placent nec sunt voluntati et sensualitati contraria. Non curamus sequi securiorem, sed solum laxiorem disciplinam, et amamus et desideramus varia sine facultate Dei et Superioris, immo etiam contra nostras regulas.

Notanda quinque nobis utilia in hac renovatione.

1. Cogita te esse peregrinum et a Christo quasi procuratorem positum.

2. Semper vigila et cave tibi, quia inter hostes versaris et in periculis.

3. Refræna sensus, præsertim oculos, ut retinens sis devotionis, nec facile effundaris ad externa.

4. Una eademque tempestas permaneat in anima tua, et nitere semper ad hanc æquabilitatem conservandam.

5. Eleva mentem ad altiora, ubicumque versaris. Ad hoc certam meditationis materiam tibi delige.

6. De renovatione votorum, anno 1587.

Spero cunctos bene intelligere, quam utile et bonum et laudabile sit, quod in Societate nostri vota quotannis soleant renovare; opus enim est obedientiæ a Spiritu Sancto inspiratum Patri nostro Ignatio, præscriptum in constitutionibus, receptum et hactenus ubique cum ingenti fructu observatum. Prodest hæc renovatio Superioribus, subditis, Societati. In principio hujus exhortationis quædam mihi dicenda sunt, quæ hoc tempore se mihi offerunt specialia et aliis annis inusitata. Primum est finiri a nobis annum præsentem, in quo plura et majora iræ divinæ flagella sensimus, quam antea unquam accidisse dicuntur. Quis enim ignorat gravem et communem annonæ caritatem et famem, qua multi perierunt et adhuc perituri videntur! Quam multi nostrorum in Hungaria et Gallia ex peste mortui! Cum fame enim solet pestis esse conjuncta, quæ vicinis etiam in locis et alibi sævit et sequenti anno magis sæviet, ut prædicunt multi. Hæc præfari volui, ut iram et virgam Dei agnoscamus et timeamus tantoque magis ad bonam renovationem præparemur, non secus ac si Deus in anno futuro nos una cum aliis per pestem visitare et ex hac vita vocare vellet. Multis fortasse erit hæc renovatio ultima, licet non cogitent. *Vigilate et orate* (Matth. 24, 4). *Dispone domui tuæ, quia morieris et non vives* (Isai. 38, 1). *Beati servi illi, quos, cum venerit, Dominus invenerit vigilantes* (Luc. 12, 37). Est et hoc speciale anno præsente,

quod litteras Patris Generalis et Provincialis accepimus, quibus serio excitamur ad spiritualis vitæ studium et perfectionem, ut vocatione sua digne quisque ambulet, ut in fraterna caritate cuncti sedulo se exerceant, nullam admittentes differentiam nationum et personarum, ut crescamus in vera devotione et veneratione Sanctissimæ Virginis, ut specialiter Deo commendemus regna Sinensium, quæ per nostros ad veram fidem convertuntur. Quid hæc sunt nisi excitamenta et clamantes voces ad renovationem magis commendandam et ad spiritum in Societate confortandum? Præterea inter alia scribit Pater noster Generalis, inexcusabiles nos esse, si acceptam in Societate gratiam non agnoscamus et cognitam Dei voluntatem non sedulo exequamur. Jubet etiam, ut omnes, qui gratiam jubilæi a Pontifice nobis concessam consequi cupiunt, minimum octo diebus in meditationibus exerceantur et ita se colligant et uniant cum Deo. Nonne hæc sunt nova valdeque ponderanda, quæ nos excitent ad præsentem renovationem diligentius et libentius faciendam? Sed ad rem ipsam propius accedendo, dicam:

I. De præparatione, qua opus est ad futuram renovationem.

II. De devotione, qua renovanda nobis sunt vota, et de modo eam excitandi.

I. Hic in memoriam nobis revocemus, quomodo nostri ad hujusmodi renovationem soleant se disponere et quasi parare viam Domini juxta veterem et laudabilem morem Societatis. Accedunt merito cum præmeditatione

aliquot mensium, quomodo se in illis gesserint post ultimam renovationem, recogitantes de reddenda ratione conscientiæ et de confessione facienda. Accedunt ad Superiorem et in signum internæ contritionis petunt externam sibi pœnitentiam dari vel permitti. Accedunt et veniam ab omnibus petunt in signum reconciliationis. Accedunt ad vicarium Christi, peccata sua confitentes et seipsos humiliter accusantes. Accedunt cum memoria trium votorum, quæ semel obtulerunt Deo ad vivendum et moriendum in Societate, et ideo unusquisque formulam votorum scribit et ex chartula legit circa communionem et ita renovat vota. Quæ eo devotius a nobis debent renovari, quod in principali festo nostræ Societatis, Nominis Jesu, renovantur ad altare, et specialiter ipso Christi Jesu sanguine tum primum fuso sanctificantur optimumque et gratissimum Deo holocaustum efficiunt, modo humili et ardenti corde offerantur.

II. Vis scire, quomodo excitare possis in te devotionem ad vota utiliter renovanda?

1. Propone tibi dignitatem illius, cui vota fiunt.

2. Præsentiam Beatissimæ Virginis et Angelorum et Sanctorum omnium, haud dubie nobis faventium.

3. Munera ipsa ex parte voventis proposita et oblata, in quibus bona mundi, corporis et animæ omnia continentur. Offers autem illa simul cum obligatione, non ad tempus, sed in perpetuum et irrevocabiliter et sine exceptione ulla Deo militandi in Societate, nihil curando omnes hostes, nec eorum tentationes

ex parte opum, carnis et voluntatis propriæ, tota vita duraturas.

4. Nota et considera tria, quæ Christus primo anni die fecit, quia conferent ad renovationem utiliter faciendam.

Primum Christus mirabilem ostendit humilitatem, non contentus sese exinanivisse, factus pro nobis parvulus et in extrema paupertate natus ex paupere matre, sed et voluit videri et existimari peccator ac infirmus, medicina indigens eamque ultro suscipiens; voluit ipse Dominus legis se legi subjicere et secundum legem ab initio vivere et, licet innocens, portare jugum obedientiæ, nec proprii esse juris. Hæc tollunt omnem excusationem, si gravemur nos humiliare cum aliis se modo renovantibus. Superbi patris sumus superbi filii, egemus multa humiliatione, qui tam ægre agnoscimus culpas et miserias nostras, libenter nos cum patre excusamus in peccato, ægre confitemur et damus gloriam Deo et sæpe videri volumus meliores, quam coram Deo, immo conscientia propria teste, sumus. Egemus lege dominante et voluntatem nostram refrænante et cogente per angustam portam ingredi. Sumus ut pueri egentes non solum magistro, sed et virga obedientiæ, sicut equi indomiti, sicut plantæ et arbusculæ.

Dein Christus hodie primam fecit oblationem et, quod habuit optimum, Patri offerre voluit, nempe purum sanguinem suum, eo ipso innuens, quare venisset in mundum, quo medio dæmonem vincere et animas sibi

redimere vellet, per passionem scilicet et integram corporis et vitæ oblationem. In hac voluntate sanctificavit nos et electos omnes, simulque docuit, quomodo nos renovare et Deo offerre debeamus per modum perfecti holocausti.

Tertio Christus non voluit esse legislator sicut Moyses, imponens grave jugum legis populo suo, sed Jesus dici et esse, spiritum et gratiam conferens ad legem implendam, ut jugum esset suave et onus leve, ut ex amore præstaremus officium Deo gratum, ut in mandatorum et consiliorum via, non modo ambulare sed et currere possemus. Tantum opus est igne caritatis, quo incensus Paulus dixit: *Quis ergo nos separabit a caritate Christi* (Rom. 10, 35)? Ne ergo simus pusillanimes ob naturam corruptam et legem peccati, quia Christus scribit legem caritatis in cordibus nostris, et major est virtus secundi Adæ in natura reformanda et innovanda, quam primi in eadem corrumpenda per suam inobedientiam. Hæc gratia Christi illuminat intellectum, voluntatem accendit, infirmitatem sanat, veterem hominem mortificat, mala desideria compescit. *Omnia possum in eo, qui me confortat* (Phil. 4, 13). Hinc nascitur confidentia magna non solum ad vovendum, sed et ad implenda vota, quia *caritas Dei* diffunditur *in cordibus nostris*, quia *omnia possibilia sunt credenti* (Marc. 9, 22), oranti et multo magis amanti. *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram* (Rom. 8, 26). Unctio Spiritus Sancti facilia reddit omnia. Difficile quidem crucifigere

carnem et cor circumcidere, sed confidamus in Domino. *Qui enim sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient* (Isai. 40, 31). Confidamus, non in nostris viribus ; *maledictus enim homo, qui confidit in homine* (Jer. 17, 5); sed in gratiæ auxilio ob Dei promittentis bonitatem, quia pater est, ob Christi merita, ob orationes electorum. Meminerimus autem, requiri paupertatem, quæ conjunctam habeat patientiam, sine qua facile murmuratur; castitati addendam esse caritatem, sine qua carnem difficulter vincimus; obedientiam exigere simplicem humilitatem, quæ captivet intellectum in obsequium Christi et liget voluntatem. Nonne metuendum nobis? non agnoscimus gratiam vocationis, nec grati sumus pro illa ; non amamus finem vocationis nostræ ; ex consuetudine facimus nostra, non cum amore et zelo proficiendi ; non attendimus examini particulari, in oratione sumus negligentes, quia non cognoscimus hostes et nostram infirmitatem, non armamus nos contra hostes et impedimenta, sumus ad pugnandum inermes, ad procedendum debiles. Ah ! *renovamini spiritu mentis vestræ* (Eph. 4, 23), ut simus Nazaræi, veri Abrahæ filii, circumcisi, filiique Sanctorum !

7. De renovatione votorum, 1589.

Tria nobis hoc tempore consideranda et agenda sunt, nec levis illa momenti : ut bene concludamus

veterem annum, novumque ordiamur, ut festum Nominis Jesu cum fructu celebremus, atque ut vota in Societate facta renovemus. Quomodo autem hæc tria utiliter fient? Primo quidem, si de præteriti anni tempore cum dolore cogitemus, nos ipsos judicantes, quasi servi simus inutiles et arbores infrugiferæ; dein si novum annum ordiamur cum metu quidem fragilitatis nostræ, quia in incerto est victoria imminentium tentationum et periculorum et hostium in hoc mundo periculoso, ubi intus et foris semper pugnæ, sed simul cum firmo proposito fideliter Deo adhærendi et serviendi et filiali spe auxilii Dei nobis adfuturi; et demum si nomen Jesu in nobis recte sanctificemus juxta illud: *Dominum Christum sanctificate in cordibus vestris* (1. Pet. 3, 15), et ut nova votorum nostrorum oblatio fiat cum perfecta spiritus renovatione et acceptetur a Deo et placeat coram curia cœlesti. Sed solum dicam de hac nostra renovatione, quæ grata nobis esse debet, quia monet nos de dono vocationis ad gratias divinæ bonitati agendas; monet de vinculis, quibus Deus nos attraxit, ut nos separatos ab hostibus nostris sibi uniret; monet et de remediis adhibendis contra animæ nostræ morbos: pœnitentia scilicet, humilitate, confessione, reconciliatione, devotione, communione. Videamus ergo:

I. Quid credendum nobis de renovatione;

II. Quæ sint impedimenta bonæ renovationis;

III. Quomodo cum fructu vota nobis renovanda.

I. Quid credendum de renovatione? Credendum, bonam, utilem et laudabilem esse ordinationem Patris nostri Ignatii, ut anniversariam renovationem nostri faciant ubique gentium; est enim hæc renovatio instauratio belli contra tres hostes: carnem, mundum ac dæmonem, qui maxime impediunt hominem in vita spirituali; est hæc renovatio quasi imitatio Apostolorum relinquentium retia, ut Christum sequerentur; est confirmatio fœderis solemnis cum Deo in baptismo initi; est renovatio fœderis cum Deo initi per nuncupationem votorum juxta exemplum Israelitarum, qui post captivitatem Babylonicam, reversi in Jerusalem, postquam Esdras sacerdos eis prælegerat legem, ut suas prævaricationes agnoscerent, pœnitentiam egerunt et fœdus cum Deo renovarunt (1. Esd. c. 10. et 2. Esd. c. 8. et 9). Est hæc renovatio vere actus cultus latriæ Deo et Angelis gratus et dæmonibus exosus. Est opus obedientiæ propter voluntatem et mandatum Superiorum; est opus prudentiæ, quia est medicina efficax contra oblivionem; est opus pœnitentiæ, est medium ad expurgandas omnes sordes animæ et ad restaurandum hominem interiorem. Hic reddimus multa, quæ debemus Superioribus, Societati, fratribus et nobis ipsis. Superioribus novam exhibemus reverentiam, novum amorem, novam obedientiam; agnoscentes defectus nostros, reddimus Societati novum amorem per exactam regularum observantiam; reddimus proximis caritatem, hactenus sæpe læsam, domi et foris, cogitatione, verbo et

opere ; nobis reddimus novum cor et desiderium majoris perfectionis et mortificationis novumque offerimus de nobis holocaustum, nos ipsos abnegantes, scientes, quia hoc nostrum institutum requirit homines mundo crucifixos, et quibus mundus ipse sit crucifixus, homines sibi mortuos et justitiæ viventes, homines in omni virtute perfectos, qui semper se ad anteriora extendant, homines mundo et amori proprio mortuos solique Christo viventes. Dein nonne Christus, ipsa sanctitas, se quasi renovavit, cum vellet a Joanne baptizari et statim in desertum secederet, ut se pararet ad vitam apostolicam? Nonne sæpe tempore prædicationis abiit in desertum locum, ut oraret, modo solus, modo cum discipulis suis? Nonne renovavit Apostolos in die Pentecostes, ejusque renovationis memoriam retinuerunt illi et quotannis a nobis retineri voluerunt? Nonne Ecclesia renovat fideles per festa instituta de dedicatione templorum, ut recordentur, se in baptismo in templa Dei dedicatos, ut sancti sint corpore et animo? Inde multiplex nobis meritum augetur, quod cum nova fide et fiducia segregantes nos a mundanis, qui amant mundum, carnem, superbiam et propriam voluntatem, totos nos iterum consecramus Deo, gratissima illi votorum munera offerentes.

II. Quæ sunt impedimenta bonæ renovationis?

1. Defectus fidei, quia vel non satis credimus et perpendimus, quam obligatoria sint vota, ita ut eorum violatio faciat mendaces et perfidos coram Deo

et cœlesti curia, vel quia non satis perpendimus, quantam vim habeat renovatio in obligando quolibet in perpetuum ad perfectionem, et quod votorum nostrorum observatio faciat nos novas creaturas, mundo mortuos, Christi discipulos et imitatores, Apostolorum socios, veros sacerdotes et reges, maxima munera offerentes, exhilarantes Angelos et contristantes dæmones, hostes animæ nostræ; vel quia non satis perpendimus, quantum perfectionis contineatur in tribus votis, quibus nos Deo et Societati obligamus.

Per paupertatem moritur homo mundo et privat se omni potestate de bonis suis disponendi, expendendi, retinendi vel iis utendi ut propriis, accipiendi vel petendi munera. Obligamur autem ad paupertatem diligendam ut matrem et ad eam exercendam cum patientia, ita ut Christum pauperem imitemur, quo nullus natus est pauperior, qui noluit habere consolationem in Bethlehem. Vere pauperes accedunt ad mensam judicantes se indignos pane, et cum gemitu considerant egenos et intuentur ipsum Christum, cibatum felle et aceto in summa siti. Paupertatem autem religiosam non vere observant, qui non sunt spiritu et voluntate pauperes, sed necessitate tantum, nec Christum pauperem sequuntur, non ex toto omnia temporalia relinquentes, sed aliquid sibi reservantes, nimis avide et studiose possidentes necessaria, superflua desiderantes, non contenti victu quotidiano, sed facile murmurantes, nec volentes ullum sentire defectum,

sed impatientes, dantes vel accipientes sine facultate Superioris.

Per obedientiam moritur homo suæ voluntati et privat se libertate et obligat se ad obediendum non solum exterius, sed etiam interius cuilibet Superiori, uniendo suam voluntatem cum illius voluntate, in quo Christus vult agnosci et honorari, ita ut sit sicut parvulus erga matrem, nullam habens propriam voluntatem et sinens se regi, sicut cæcus ab illo, qui illum manu ducit. Impediunt se in obedientia illi, quibus quidem placet obedientia, sed qui non cernunt Christum in Superiore, qui non vincunt se ipsos in his, quæ voluntati eorum propriæ sunt contraria, qui non sunt cæci in judicando, nec veluti parvuli et cadaver et senis baculum in obediendo.

Per castitatem moritur homo sibi et obligat se ad castitatem, non solum exteriorem, sed etiam interiorem, angelicam, et ad fugienda omnia, quæ illam contaminare possunt, et ad pugnandum pro illa cum Paulo fortiter et ad ornandam illam vera caritate Dei. Impediunt castitatem cogitationes periculosæ, colloquia nimis familiaria, oculorum libertas, codices dubiæ famæ, intemperantia. Placet castitas, sed sine castigatione carnis, nec ei adjungimus comitem verecundiam.

2. Defectus sinceritatis in informatione seu ratione conscientiæ vel confessione.

3. Defectus serii propositi ad removenda et vincenda impedimenta vocationis et profectus spiritualis et ad emendandos defectus; accedimus ex sola

consuetudine sine corde contrito et pœnitentia, sine devotione et desiderio renovandi spiritum.

III. Quomodo cum fructu facienda renovatio? Ad bonam renovationem multum valet·

1. Magnifacere hoc institutum renovationis, divinitus primo Præposito inspiratum, quod tam efficax est ad confirmandos animos nostrorum in sua vocatione, quod simul opus est multarum virtutum.

2. Gratias agere Deo ex corde de tempore opportuno nobis concesso ad hanc renovationem, per quam possumus nos reconciliare cum Deo et cum hominibus et renovare in nobis spiritum vocationis.

3. Ponere nobis ob oculos virtutes, quas Christus in circumcisione exercuit; festum enim circumcisionis, quod sacro Jesu nomine insignitum est ex speciali voluntate Patris, et quod est festum proprium Societatis, pulchre monet nos debere Christo circumciso conformari: primo, in opere humilitatis; cum enim esset justificator omnium iniquorum, vult peccator videri et sic nostram arguit superbiam, qui, cum simus iniqui, sæpe justi videri volumus; deinde, in opere pœnitentiæ ab ipso susceptæ; cum enim ille pro nostris peccatis tam dura sustinet, quid non decet nos sustinere? tertio, in opere obedientiæ; ipse auctor legis et Dominus se subjicit legi, quanto magis oportet nos subjectos esse legi? quarto, in opere liberalitatis et amoris, effundendo et donando nobis sanguinem; sic nos docet Christus ex amore multa etiam facere, ad quæ non obligamur, et etiam libenter pati pro ipso.

4. Proponere nobis præcipuos defectus nostros et præcipua impedimenta profectus in vocatione nostra occurrentia, cum certo proposito defectus illos emendandi, extirpandi et impedimenta vincendi. Talia autem solent esse pigritia et acedia in cultu Dei, tepor in oratione, in obediendo defectus abnegationis voluntatis propriæ, in loquendo et conversando loquacitas et intemperantia linguæ, in officio injuncto segnities, temeritas in judicando, cura nimia corporis, inordinatus usus sensuum nimiaque libertas, ut simus incircumcisi.

5. Per orationem et studium comparare nobis majorem cognitionem rerum ad nostram vocationem pertinentium, præsertim trium votorum, dein et regularum nostrarum. Obligamur enim etiam ad servandas regulas cum omni simplicitate et subjectione et abnegatione nostri, non ad oculum servientes, neque cum timore, sed ex amore procedentes ac omnes alios ædificantes. Regulæ enim sunt summa et nervus constitutionum, sunt vincula corporis Societatis, sunt signa nostræ militiæ, quæ nos distinguunt ab aliis, et quæ nos faciunt viva membra Societatis; sunt scalæ, per quas nos oportet ad perfectionem ascendere. Obligamur non solum vacare cum gratia Dei saluti, sed et perfectioni propriarum animarum, ac proin non modo præcepta Dei, sed etiam evangelica consilia observare, immo et saluti et perfectioni proximorum impense incumbere. Unde finis nostræ Societatis sublimior est quam aliarum religionum, ut

v.g. Carthusianorum, quorum est solum propriæ saluti et perfectioni incumbere; nos autem ad vitam apostolicam destinamur ob bonum commune in Ecclesia promovendum et ad majorem Dei gloriam procurandam.

6. Multum denique valet ad bonam renovationem sentire ignem caritatis, ut non ex alio principio quam caritatis in omnibus agamus, si volumus perfecte placere Deo ac multum mereri in hac sancta nostra vocatione. Hæc caritas est mater et regina virtutum, ex qua pendet omnis nostra perfectio; radix autem et fomes malorum et venenum caritatis est cupiditas seu amor sui, amor carnis et propriæ voluntatis. Sed o quam multa facimus ex judicio proprio, ex consuetudine vel ob naturalem propensionem, non habita ratione caritatis præceptæ a Deo juxta illud: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota mente tua et ex tota virtute tua* (Marc. 12, 30)! Solemus orare et meditari, sed non ex amore et in spiritu et veritate et cum gustu spirituali; facimus examen conscientiæ, sed nescimus ex amore dolere et ob defectus erubescere coram Deo et Angelis. Servamus paupertatem, castitatem et obedientiam, sed non ex spiritu amoris. Scimus cum nostris et externis conversari, sed non ex amore ad nos redire et converti ad Dominum. Habemus aures ad audienda curiosa et vana, quæ nos etiam delectant, sed manemus sine amore, qui nos faciat audire loquentem in nobis Spiritum Sanctum et pulsanti aperire ostium. Sumus amantes externæ libertatis et

consolationis, sed sumus frigidi in amore ad Deum pure quærendum et sanctam consolationem. Oh! si amor Dei vigerét in nobis, faceret nos cæcos ad videnda vana et surdos ad audienda curiosa et mutos ad loquendum inutilia, faceret nos esurientes et sitientes justitiam, sollicitos ad purgandam domum conscientiæ, pacificos inter nos, lætos in cruce, zelosos ad nos ipsos vincendos et impigros ad laborandum pro Dei gloria.

8. De renovatione votorum 1590.

Venit tempus renovationis votorum, sicut bis in anno fieri solet. Qui idcirco tristatur, non habet spiritum Societatis et parum commodi sentiet ex renovatione, quia requiritur spiritus lætus, voluntarius et paratus *Hilarem datorem diligit Deus* (2. Cor. 9, 7), et voluntaria sacrificia, sicut magorum; coacta vero servitia Deo displicent et Angelis ejus. *Voluntarie sacrificabo tibi*, inquit David (Ps. 53, 6).

Dicam: I. QUAM MAGNA ET PONDEROSA RES SIT RENOVATIO VOTORUM IN SOCIETATE ET CUR LÆTO SPIRITU SIT FACIENDA;

II. QUÆ IMPEDIANT BONAM RENOVATIONEM;

III. QUÆ PROMOVEANT ET FRUCTUOSAM FACIANT RENOVATIONEM.

Renovatio votorum

1. Est res magni momenti, quia tam multa in ea concurrunt bona opera, quæ exercentur. Exercetur

enim actus fidei catholicæ, spei, pœnitentiæ, caritatis Dei et proximi ; fit confessio et communio sacramentalis.

2. Requirit integram sui oblationem et perfectum sacrificium seu holocaustum ex parte tum animæ tum corporis.

3. Oportet apparere in conspectu Dei, Beatæ Virginis, Angelorum et Sanctorum omnium seu totius curiæ cœlestis.

4. Opus est nova promissione et perpetua obligatione ex parte voventium, ita ut homo religiosus renuntiet mundo, carni et propriæ voluntati, ut abneget semetipsum et sequatur Christum in paupertate, castitate et obedientia, ut exuat veterem hominem et induat novum, immo ut totus fiat spiritualis et nova in Christo creatura.

5. Huc spectat, ut quisque seipsum judicet et renovet, abjectis omnibus impedimentis, sicut fecerunt Apostoli, retibus relictis ad Christum sequendum.

6. Opus instaurare bellum contra tres hostes animæ : mundum, carnem, satanam, ne capiamur mundi pompa, voluptate et propria voluntate. O quam multi pereunt in mundo ob curam temporalium, ob delicias et malam propriamque voluntatem et ob concupiscentiam et nimiam libertatem !

7. Debemus cum patre Abraham egredi de terra et cognatione et proficisci cum populo Dei ex Ægypto et separari ab incircumcisis et offerre sacrificium in deserto, percutere fœdus cum Domino et jurare novam obedientiam, sicut Israelitæ fecerunt tempore Esdræ.

8. Est opus proprium Societatis, non aliarum religionum, medium nulli nocens, sed utile omnibus: Superioribus et inferioribus, sacerdotibus et laicis. Est forte pharmacum ad pellendos malos humores, qui pessimos et exitiales morbos producerent. Nullus tam sanus et fortis, qui non fructum referat ex hac renovatione, cujus summa est: *Renovamini spiritu mentis vestræ et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis* (Eph. 4, 23. 24). Opus habuit et Elias excitatore, qui dormienti diceret, tangens eum: *Surge et comede, grandis enim tibi restat via.* Cibatus ergo et potatus *ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb* (3. Reg. 19, 7. 8).

Hæc autem renovatio facienda est læto animo, et cur? Quia placet Deo et Angelis libenter eam acceptantibus, unde in formula votorum nominatur curia cœlestis; quia est oblatio pinguis, electa, pretiosa, melior aliis, quæ fiunt ex floribus, fructibus, animalibus, auro, argento et omnibus bonis principum et divitum; vocatur holocaustum; facit nos veros Abrahæ filios et Israelitas, percutientes fœdus cum Deo; æquat nos Apostolis, retia et omnia relinquentibus, ut melius Christum sequerentur et promissum a Christo præmium acciperent; est medicina præservans et confortans; est potio acris dissipans somnum spiritualem; est exercitium militare, quo Ignatius, peritus dux, voluit

milites Christi instrui, renovari et præparari ad bellum contra tres potentes hostes animæ.

II. Quæ impediunt bonam renovationem?

1. Non se præparare more Societatis cum vero desiderio proficiendi; si renovatio fiat mala conscientia et ex hypocrisi; vel ex sola consuetudine, non ex animo; ex timore magis quam ex amore Dei. *Nolite errare, Deus non irridetur* (Gal. 6, 7). *In simplicitate cordis quærite illum, quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum* (Sap. 1, 1. 2).

2. Non ponderare vota et in iis contenta, nec eorum obligationem: ut servemus nempe paupertatem, patientes etiam defectum; castitatem, mortificantes carnem et pugnantes; obedientiam cum humilitate et resignatione propriæ voluntatis. Si enim aliquid promittere homini res gravis est et obligatoria, gravior certe est promittere Deo, et hoc votum Deo factum adfert perpetuam obligationem, nec potest revocari.

3. Non invocare Deum et Sanctos pro gratia implendi vota, nec se confortare studio orationis et meditationis contra tentationes consequentes.

4. Impedit durities cordis, quia amore proprio excæcati nescimus lugere nostra et aliena peccata, ita ut desint lacrymæ et doloris et amoris.

5. Impedit torpor in agendo cum Christo, cum accedimus ad orandum vel spectamus cum in cruce. Facimus ut ignavi milites, duci suo multam fidem promittentes, sed in pugna fugientes vel arma projicientes. Vellemus quidem impetrare absolutionem

et consolationem sicut Magdalena, sed Christus vult nobis esse magister, medicus, et vocat nos ad majorem perfectionem et veram unionem cum seipso.

III. Quæ promovent et fructuosam faciunt nostram renovationem?

Si Magdalenæ nos conformare studeamus in seria aversione a peccatis et peccatorum occasionibus. En plena dolore, timore, pudore et amore surgit ex peccati statu, facit pœnitentiam interiorem et exteriorem, immo et publicam, seipsam exponens ridendam aliis, abrenuntiat omnino satanæ et corpus odio persequitur, judicat et punit seipsam, relinquit pompam, domum, ornamenta, mundum, contemnit omnia: quot habuit oblectamenta culpæ, tot de se obtulit holocausta pœnitentiæ; negligit formam, vestes, crines, gemmas, opes, honorem, amicos, parata contemni. Semel reconciliata Christo, semper in via gratiæ permansit; muta, surda et mortua externis, soli Christo vivit, a quo et a cujus servitio nunquam recessit. Consumpsit triginta annos in deserto, deflens sua peccata, facta speculum pœnitentiæ toti Ecclesiæ, mortua mundo et vacans contemplationi; et nutrita pane cœlesti, semper crescebat in cognitione et amore Christi et altius ascendebat in virtutibus; ex zelo amoris convertit Massilienses. Valde nos consolatur, quod Christus talem peccatricem respicit, vocat, convertit, tam facile absolvit, etiam defendit contra murmurantes, quod dat illi cor suum ad compatiendum, pedes suos ad ungendum et osculandum, aures suas ad exaudiendum, linguam suam ad conso-

landum dicendo: *Confide, filia, fides tua te salvam fecit* (Matth. 9, 22), quod ab illa voluit sustentari, visitari in cruce, quod post mortem et resurrectionem voluit se ei manifestare et ab illa resurrectionem suam nuntiari discipulis. Sed et ipsa nos docet modum reconciliandi nos Deo per veram pœnitentiam et integram ad Christum conversionem, per amaram contritionem ex fide et caritate, cum singulari humilitate intus et extra, cum plena oblatione animæ et corporis. Docet nos et religiosos omnes contemnere mundum et renuntiare perfecte impedimentis perfectionis, bonis, patriæ, parentibus, humanis solatiis, amare solitudinem, audire, meditari verbum Dei, optimam partem eligere, persistere in gratia, nos totos dicare Christo, illum supra omnia amare, constanter illi adhærere in prosperis et adversis, ex amore zelare ejus gloriam et illi lucrari animas.

9. De renovatione votorum a. 1593.

In exordio hujus exhortationis tria præsertim opto, quæ mihi et vobis omnibus valde sunt desideranda. Primo, ut veterem hunc annum bene absolvamus et novum deinde sic instituamus, ut mereamur omnes in corpore et anima salvi et incolumes a Deo protegente custodiri, et ut Deus Ecclesiam suam tum orientalem tum occidentalem contra hostes suos defendat et propugnatores ejus adjuvet hoc difficillimo tempore, in quo videmus in dies magis ac magis deficere christia-

nitatem; dein, ut congrue celebremus solemne festum Christi circumcisi, quod præcipuum festum est nostræ Societatis, quæ nomen suum accepit a Christo vulnerato et circumciso et sanguine suo mundum purgante et sanctificante; tertio, ut vota, quæ renovabimus, gratum Deo præstent sacrificium, et nomen Jesu, quo insigniti sumus, nos omnes vere sanctificet nostraque consilia et opera sequenti anno dirigat, sicut nostrum omnium salus et necessitas exigit. Ut vero præparentur corda vestra Domino et serviatis ei soli (1. Reg. 7, 3), proponam vobis hodie:

I. Quamobrem votorum renovationem solemnem ac usitatam in Societate magnifacere debeamus.

II. Quomodo se quisque ad illam præparare debeat.

I. Omnes credentes in eo consentiunt, quod Deo auctori suo vovere quid possint, sicut Jacob, Ezechiel et Jonas voverunt; sic vovere quid Deo esse opus latriæ, opus catholicæ fidei et spei et perfectæ caritatis, et vota esse servanda, et damnabiles esse votifragos. *Vovete*, inquit psaltes, *et reddite Domino Deo vestro* (Ps. 75, 12). Cum ergo laudabile sit vota facere, etiam laudabile est facta vota renovare et confirmare. Insuper hic mos renovandi vota, sicut apud nos fieri solet, maxime salutaris est ad innovandum, conservandum, promovendum et augendum in omnibus verum spiritum Societatis; eximiæ enim ejus sunt utilitates.

1. Hæc renovatio nobis prodest multum ad cognoscendos nos ipsos; oculi multorum hac occasione ape-

riuntur ad cognoscendos seipsos et defectus suos, quos antea minus ponderabant; recolunt enim omnes vitam a sex mensibus exactam, officia, quæ obierunt; recolunt, quomodo se gesserint erga Deum, Superiores, fratres et externos, domi et foris; tum a confessario, cum confitentur, tum a Superiore, cum reddunt rationem conscientiæ, illuminantur, ita ut, discussis tenebris interioribus, melius videant statum animæ, et quid corrigendum sit.

2. Hæc renovatio nos admonet parabolæ evangelicæ de servo debitore jubetque nostrum quemlibet cogitare, quod sit servus magni regis, qui voluit rationem ponere cum servo quodam, debente decem millia talentorum, quæ non poterat reddere. Servus autem ille misericordiam obtinuit, et omne debitum ei dimissum est, quia se humiliavit et procidens oravit Dominum dicens: *Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi* (Matth. 18, 26). Bonum est igitur et utile habere hoc tempus reconciliandi nos cum Deo, Superioribus et fratribus et hominibus, et sic obtinendi remissionem debitorum nostrorum a sex mensibus, remissionem scilicet peccatorum quoad culpam et pœnam. Et quia de peccatis dolemus cum Magdalena ad pedes Domini, cum eadem audimus: *Remittuntur tibi peccata* (Luc. 7, 48). Immo datur et nobis, si volumus, plenaria indulgentia, qua liberamur non solum a vinculis culparum, sed et pœnarum, quas meruimus; nam quasi baptizat nos iterum Christus, summus æternusque Pontifex, ut simus novæ creaturæ, immo et confirmat

nos per novam gratiam ad perseverandum in nostra vocatione.

3. Hæc renovatio est quædam visitatio Spiritus Sancti, templum nostrum, immo suum, licet sordidum et profanatum, reconciliantis et sanctificantis et sua operatione et virtute in nobis efficientis, quod in Saul et David, qui, postquam uncti fuerant, novam et mirabilem induerunt virtutem ad suos hostes vincendos, ita ut hi eis resistere non possent. Roborat enim nos, ut novo studio pugnemus contra hostes nostros et nos ipsos, ita ut dicere possimus : *In Deo faciemus virtutem, et ipse ad nihil rediget tribulantes nos* (Ps. 107, 14). Efficit in nobis idem, quod in Apostolis die Pentecostes, qui induti ejus virtute superiores erant Judæis et gentibus et dæmonibus et in gratia confirmati manserunt et totius orbis erant prædicatores. Sic et nos in renovatione petimus et accipimus Spiritum Sanctum, qui adjuvat infirmitatem nostram et imbecillitatem et nos facit fortes et invictos Christi milites, qui induti armatura Dei pugnare possint contra hostes animæ, ejus saluti perpetuo insidiantes.

4. Hæc renovatio præbet nobis medicinam purgativam, curativam, confortativam et præservativam, ut humores animi noxios depellamus et ab interiore infirmitate curemur planeque convalescamus, ut et dein alios ægros curare possimus. *Sanat omnes infirmitates tuas* (Ps. 101, 3).

5. Hæc renovatio excitat nos ad sequendum exemplum Christi nati et circumcisi hoc tempore, qui per

se et suam Matrem benedictam, per sanctos suos Apostolos et primos christianos docuit nos, non solum laudare et amare, sed et exercere perfectam paupertatem, castitatem et obedientiam, non solum ad tempus, sed protinus usque ad mortem ; unde laudandi illi, qui cum lætitia et fiducia veniunt ad renovationem, velut vocati a summo rege Christo, qui eos vocavit et fovit hactenus in hac sancta vocatione seque paratum offert ad illos, licet indignos, admittendos et extollendos, quia volunt se totos illi offerre cum novo studio sequendi ipsum in via paupertatis, castitatis et obedientiæ.

6. Hac renovatione, si in vero spiritu fiat, lætificamus Angelos nobis gratulantes, quod persistamus in sancto proposito contemnendi mundum, carnem et satanam et, his contemptis, rursus eligamus soli Deo servire, et quidem ex puro amore et perfecte ; lætificamus et patronos nostros particulares et primos nostros Patres et fratres totius Societatis, jam gloria coronatos ; gaudent enim, cum videant nos contemptores terrenorum et omnia arbitrantes et reputantes ut stercora, ut Christum lucrifaciamus, et optant, nos licet inopes et indignos a summo rege collocari inter electos cœli principes, ut cum ipsis capiamus fructum sanctæ paupertatis, sanctæ castitatis et sanctæ obedientiæ, præmium scilicet a Christo promissum.

II. Quomodo nos præparare oportet ad vota recte et frugifere renovanda ?

1. Consideremus, ad nos pertinere et dicta esse verba illa consolatoria Christi : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos et posui vos, ut eatis et fructum afferatis* (scilicet in hac vestra vocatione), *et fructus vester maneat* (Joan. 15, 16). Sed ubi hic fructus? Agnoscamus ergo nos tanta vocatione indignos et hucusque ingratos erga vocantem Deum, ita ut non mereamur habere locum inter tot bonos et electos Christi servos et milites. Quisque nostrum timeat Dei justitiam, multos punientis et deserentis, qui minus ingratos se exhibuerunt, et reputet securim quasi jam ad radicem positam et judicem cito laturum sententiam : *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores* (Matth. 25, 30) ; vel : *Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter* (Jer. 48, 10) ; vel : *Quia tepidus es et nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo* (Apoc. 3, 16). Humiliet et confundat se quisque, quod sit servus sciens et non faciens Domini sui voluntatem, et pauperum panem gratis manducet, et cum Davide et Petro doleat de suis peccatis et de sua ingratitudine.

2. Revocet sibi quisque in mentem majora vocationis suæ et profectus spiritualis impedimenta. Hujusmodi sunt : quod sæpe sit cœcus ad videndum et intelligendum, quid sibi fecerit, faciat et facturus sit Deus ; quod sit surdus ad audiendum frequentes pulsus Spiritus Sancti, Domini, qui stat ad ostium et pulsat et ait : *Si quis audierit vocem meam et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo*

et ipse mecum (Apoc. 3, 20) ; quod sit claudus ad ambulandum per viam regiam regularum ; quod sit valde segnis ad pœnitentiam et mortificationem ; quod sit frigidus et torpidus ad orationem ; quod sit præceps, improvidus in usu linguæ ; quod sit nimis curiosus et rebus inutilibus affixus ; quod sit sibi nimium confidens et impatiens in his, quæ sibi non placent ; quod velit esse pauper, sed ita ut nihil sibi desit, alioquin facile murmurat, immemor crucis Christi ; quod velit servare castitatem, sed non curet mortificationem, custodiam sensuum et puritatem cordis ; quod velit esse obediens, sed modo nihil ei negetur ; quod in sensu suo abundet ; quod non foveat familiaritatem cum Deo et in zelo animarum langueat.

3. Quisque oculos suos convertat ad speculum regularum, ut maculas suas videat, agnoscat, in quibus soleat frequentius labi, et in quibus debeat se emendare, præsertim quæ spectant ad cultum Dei, ad quotidianam conversationem et ad caritatem et unionem fraternam, et proponat sibi, cum fortasse novus annus ipsi sit futurus ultimus ad serviendum Deo in Societate, inclinationes et affectiones suas malas fortius vincere et cum majori cura vigilare, præsertim quoties confitendum et communicandum est, ut aliquo modo prioris vitæ defectus suppleat magisque progrediatur in sua vocatione ; non enim progredi in via Dei regredi est ; proin aut ascendas necesse est, aut descendas ; si tentas stare, ruas necesse est (ita S. Bernardus) ; et sic etiam melius disponatur ad mortem.

4. Quisque nostrum agnoscat, se fuisse hucusque ignavum militem et potius sibi vixisse quam aliis, quam obedientiæ et bono communi Societatis, seque deceptum amore proprio in multis egisse potius ex naturali inclinatione quam ex germano spiritu Societatis : gloriæ scilicet Dei et animarum zelo, nec semper fidem servasse promissam, præsertim cum esset pugnandum fortiter contra inimicos et contra seipsum, ac proin excitet in se sitim justitiæ vocationi suæ congruentis, domi et foris abstrahat a se inutilia, et maxime cupiat juvari a Superioribus, petatque a Deo peculiariter gratiam sentiendi fructum renovationis, sicut multi ex nostris senserunt, et Pater Ignatius optavit, scilicet cum magno fervore posthac progrediendi in nostris studiis spiritualibus et officiis ; et sic *pax multa diligentibus legem tuam* (Ps. 118, 165).

5. Demum quisque renovaturus expendat formulam votorum eorumque obligationem indispensabilem et conjungat posthac majorem patientiam cum paupertate, et majorem temperantiam et mortificationem cum castitate, sed et majorem humilitatem et resignationem propriæ voluntatis cum obedientia, et pro proxima Quadragesima proponamus nobis omnes majus pœnitentiæ studium, et etiam lacrymis, orationibus et jejuniis deprecemur mala patriæ, nec non et Ecclesiæ ita afflictæ a Turcis et hæreticis hisce perturbatissimis temporibus.

10. De renovatione votorum.

In hac exhortatione multa se offerunt, quæ tractatu digna essent: de renovatione votorum secundum morem Societatis, quare instituta, quomodo recte facienda et quis fructus inde colligendus; quomodo debeat se homo præparare et facere circa initium novi anni, ut majorem gratiam percipiat in corpore et animo; de tribus votis et quam perfectionem requirant, ut recte illa observemus. Hæc aliaque plura possent hoc loco proponi et applicari; sed ne sim longus, dicam:

Primum, quomodo Deum merito laudemus de hac sancta inspiratione Superioribus nostris facta, ut quotannis semel et iterum vota renovemus;

Dein, quomodo nos ad hanc renovationem præparare oporteat.

Ratio est, quod, si utilitas hujus rei bene cognoscatur, ea magis nobis placebit et diligentius observabitur, si volumus esse grati Deo et Superioribus.

I. Dico ergo primo, quod, licet alii religiosi non habeant hunc morem renovandi vota, sapienter tamen a nostris Superioribus sit institutum et pro singulari Dei munere accipiendum, quod vota bis in anno renovemus. Israelitæ quotannis debebant celebrare Pascha in memoriam gratiæ, quod essent ex Ægypto educti et a potestate Pharaonis liberati ad eundum in desertum, ut offerrent Deo mundum sacrificium (Exod. 12). Debebant et celebrare Pentecosten in memoriam legis

acceptæ per Moysen. Sic et nos renovamus vota cum memoria primæ vocationis, per quam Dominus nos ex Ægypto eduxit et a potestate dæmonis liberavit, ut possemus sacrificium mundum facere Domino in religione et ipsi libere servire. Sic et Ecclesia celebrat non modo festa Christi et Sanctorum, sed et dedicationis templi, ut scilicet nos admoneat dedicationis cordis nostri factæ Deo in baptismo, simul et eorum, quæ ibi vovimus.

Bona est hæc renovatio :

1. Ex parte Societatis, procurantis uniformitatem et rectum usum armorum contra hostes. Est enim medium, quo facit nos omnes unius esse moris ac similis curæ ac diligentiæ ad tria vota nostri instituti essentialia memoranda, quid requirant, quomodo illa servemus et eorum observatione proficiamus ; et sic nos novis quasi armis instruit ad pugnandum contra præcipuos hostes, qui nos in via Dei possunt impedire et multos etiam impediunt per laqueos proprietatis et avaritiæ, per carnis libertatem, per propriam voluntatem et inobedientiam. Quis nostrum est, qui non aliquando tentetur et oppugnetur circa ista tria, sicut et Judas contra paupertatem per avaritiam tentatus, et similiter Giezi, Ananias et Saphira tentati ? Nonne contra castitatem tentatæ viduæ, quæ *primam fidem irritam fecerunt* (1. Tim. 5, 12), et idcirco tentationi cesserunt ? Nonne tentatus Demas, qui reliquit Paulum et dilexit sæculum, aliique falsi fratres, qui dereliquerunt Paulum et Apostolos, facti apostatæ ?

2. Ex parte Superiorum. Prodest itidem hæc renovatio Superioribus, ut melius cognoscant suos subditos, sive proficientes sive deficientes in sua vocatione ; an sint omnes fundati supra petram ; qui sint debiles et fortes ; ut sciant oves suas melius pascere et cuilibet bene providere, omnesque sibi commissos cum majore pace et fructu regere.

3. Ex parte confessariorum : ut hac via melius faciant officium medicorum spiritualium circa suos pœnitentes illosque melius dirigant in via perfectionis, sicut requirit nostrum institutum, illos nunc excitando ad emendationem et majorem curam hominis interioris.

4. Ex parte imbecillitatis privatæ cujuslibet, indigentis aliquo remedio contra defectum oblivionis, ut melius recordemur eorum, quæ magis nobis necessaria sunt, si volumus Deo et hominibus satisfacere et juxta nostram vocationem vivere. Egemus remedio contra ignorantiam intellectus, qui vagatur et distrahitur circa multa et varia et impedit nos in consideratione rerum spiritualium et nostri status et votorum. Habemus occupationes in Societate valde distrahentes, a quibus abstrahendi sumus, ut cum Sancta Magdalene colligamus nos ipsos. Item egemus remedio contra voluntatem nostram tam frigidam et pigram et remissam, ut videamur dormire magis quam vigilare, immo libenter dormiamus, nec nos excitemus ad pugnandum, laborandum, currendum in via spiritus, ne claudicemus et tepidi maneamus.

5. Ex parte obligationis, qua tenemur super multos alios exhibere gratitudinem nostram erga Deum. *Omni autem, cui multum datum est, multum quæretur ab eo* (Luc. 12, 48). Et hæc præcipua causa renovandi vota, et quæ sola deberet esse satis, ut nocte et die essemus solliciti, non solum ad operandum cum timore et tremore salutem nostram, sed et ad currendum in justitia et sanctitate, vota nostra cum omni fervore spiritus observando.

II. De modo se parandi ad renovationem.

1. Nota sunt media ordinaria : ut quisque Superiori rationem conscientiæ reddat ; ut confiteatur generaliter ; ut se reconciliet cum Superioribus et fratribus ; ut faciat aliquam pœnitentiam sive sponte sive jussu Superioris ; ut scribat et legat formulam ; ut communicet de manu Superioris cum aliis in loco assignato.

2. Humiliet se quisque, quod ingratus fuerit Deo in hac sancta vocatione, velut cæcus ambulans aut surdis auribus transiens vocantem Dominum, quem audire et sequi ducem maxime debeat, præcipue post vota semel facta. Quid si alii tantam gratiam accepissent? an non magis parati et impigri obtemperassent perfectiusque vixissent? O Dei patientia et longanimitas erga servos scientes et non facientes Domini voluntatem !

3. Proponat sibi quisque puriorem posthac servare paupertatem, nihil desiderando, retinendo, usurpando tanquam proprium, desiderando paucis esse contentus et judicando se indignum illis ipsis, quæ in cibo, potu

et vestimento conceduntur; gaudeat aliquid molestiæ vel defectum ferre propter paupertatis amorem, sciens vere pauperem et paupertatis amicum esse, qui libenter etiam aliquid sibi deesse vult, et in omnibus Christum pauperem sibi propositum habeat, qui, cum dives esset, propter nos egenus factus est et non habuit, ubi caput reclinaret.

Quod ad castitatem promissam attinet, hæc tam in mente quam in corpore debet esse posthac velut angelica puritas, quæ nihil admittat propensionis et inclinationis ad carnalia, sicut nec illam habent unquam Angeli; neque tamen turbari debet, qui non sentit tantam in se perfectionem, sed bene sperare de gratia Dei, per quem possumus omnia, et qui nos vult ad perfectionem contendere nostramque adjuvat infirmitatem. Præcipue autem opus est habere curam sensuum externorum, ne mors intret per fenestras, præsertim quando versamur cum sæcularibus et mulieribus et pueris juxta nostrum institutum.

Præcipue autem debet nobis esse cordi illa summa virtus obedientiæ, ut Superioris jussum tanquam unicam regulam sequamur in omnibus actionibus et sæpe ad voluntatem Superioris respiciamus et cum ea nos maxime uniamus, cujuscumque tandem sit ille conditionis secundum humanam apparentiam, nihil dubitando in illo ipso Christum agnoscere et honorare ac credendo per eumdem nos divinitus regi; unde tanto facilius et magis meritorie proficiemus in nostra vocatione, quanto vivaciorem fidem adhibebimus, cæcam præstantes obedientiam,

non homini, sed Deo per omnia, sicut P. Ignatius tot modis docuit et suis injunxit.

Postremo de fine Societatis. Quisque contendat ad salutem et perfectionem suam et dein proximorum præstandam sedulo per desideria, orationes, verba, hortationes, exempla, opera, confessiones, prædicationes. Sic restauremus muros Hierusalem et colamus vineam Domini Sabaoth. Ad magna vocati, viriliter contra nos ipsos certare debemus, nec dare locum satanæ. Huc spectat frequens consideratio sui et acceptæ gratiæ, frequens examen conscientiæ et confessio, item colloquium de abnegatione sui et omnimoda perfectione. Item ne nimium studiis et occupationibus externis immergamur et tardius ad nos revertamur. Stemus itaque fortes in prœliis Domini, resistamus diabolo et quotidie aliquid nobis in studio mortificationis proponamus et spiritum lectione renovemus, sæpe mentem erigamus ad Deum, agnoscentes nostram paupertatem et excutientes pigritiam. Non demus locum tot impedimentis orationis, sed ejus necessitatem et utilitatem consideremus, nos coram Deo humiliemus, credentes, bona per orationem magis etiam quam per humanum studium obtineri. Excludamus mala phantasmata tempore orationis, in qua confidamus nos peccatis et tentationibus liberari et omnibus bonis ditari posse. Ubi non est oratio, non est spiritus, non amor, non fervor, sed tepor, timor, languor et fastidium boni. Quo major devotio erga Deum et Sanctos, eo major gratia et promptitudo ad obediendum, operandum, patiendum.

11. De renovatione votorum.

In exordio hujus exhortationis facere non possum, quin pro me et vobis omnibus Deo optimo gratias agam. Ipse enim est, qui nos hoc anno toto in corpore et animo conservavit, ut nemo sit mortuus vel diu et graviter ægrotaverit; ipse est, qui læta nobis Natalitia dedit et brevi novum annum dare vult, ut lætam agamus memoriam dulcis nominis Jesu circumcisi, quod proprium festum est Societatis. Et quid magis confortare nos potest in militia spirituali quam exemplum nostri et talis regis, cui vitam omnem nostram offeramus necesse est, et cujus gratia et protectione procul dubio tentationes et adversitates omnes hoc difficili tempore superare poterimus, quasi inclamante nobis Societate in hoc festo: *In Deo faciemus virtutem: et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos* (Ps. 59, 14)? Ipse etiam nobis offert gratiam ad felicem renovationem, quam juxta laudabilem morem Societatis auspicamur. Nonne igitur dignum et justum est, ut in Domino gaudeamus et gaudentes cum Angelis dicamus: *Gloria in altissimis Deo* (Luc. 2, 14), et simul confidentes certa spe, eumdem Deum, qui hactenus nobis ostendit misericordiam, suæ gratiæ et pacis participes nos omnes esse facturum, dummodo bonæ voluntatis homines esse velimus? Magnam certe causam lætandi et in Domino gloriandi habent ituri ad renovationem, quia veniunt invitati a clementissimo Domino, qui illos ex tot millibus vocavit, elegit et

assumpsit et ex mundo transtulit in Societatem; quos etiam, licet indignos, conservare velit et fovere et aliquando extollere et collocare inter principes populi sui. Cur non lætemur scientes, tam multos nobiscum in nomine Jesu Christi esse congregatos et nobiscum per tria vota se totos corpore et anima summo Regi Christo oblaturos et ejus se servitio dicaturos? *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum,* inquit Christus (Matth. 18, 20). Exponam modo:

I. Rationes, quæ nobis commendant hanc renovationem.

II. Quæ impedimenta præcipue sint cavenda renovantibus, seu qui defectus corrigendi.

III. Quæ eis facienda, ut fructum optatum ex renovatione percipiant.

I. Multæ sunt rationes, quæ nobis hanc renovationem commendant, sed in primis nobis eam commendare debet summa nostra indigentia. Illa enim omnes egemus, sive sani sive ægroti, sive perfecti sive imperfecti, sive dormientes in via spirituali sive vigilantes, sive debiles sive fortes. Si sumus ægroti in spiritu, egemus hac purgatione, quæ expellat humores noxios, et hac medicina, quæ animi morbos sanet et vires animi corroboret. Si sumus dormientes, egemus excitatore. Sic dormivit aliquando Elias sub junipero, *et ecce Angelus Domini tetigit eum et dixit illi: Surge et comede..... grandis enim tibi restat via. Qui cum surrexisset, comedit et bibit et ambulavit in fortitu-*

dine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb (3. Reg. 19, 7. 8); et zelo zelatus est pro Domino Deo exercituum (ibid). Sic dormivit et Petrus in carcere, et ecce Angelus Domini percussit latus ejus, excitans eum et dicens: *Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus ejus. Dixit autem Angelus ad eum: Præcingere et calcea te caligas tuas... Circumda tibi vestimentum tuum et sequere me* (Act. Apost. 12, 7. 8).

Nonne attrita sunt vestimenta nostra, et egemus novis vestimentis justitiæ et veste nuptiali? *Induite novum hominem* (Eph. 4, 24). *Induite vos ergo, sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam* (Col. 3, 12). *Induimini Dominum Jesum Christum* (Rom. 13, 14). Milites Christi, egemus novis armis ad pugnandum contra hostes animæ nostræ. *Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo et in omnibus perfecti stare* etc. (Eph. 6, 13).

Nonne egemus omnes novo lumine intellectus ad cognoscendum nos ipsos et quæ spectant ad vocationem nostram? Nonne egemus novo studio et desiderio perfectionis, novo spiritu in observatione votorum et regularum, uti et ad nos ipsos vincendos, ad regendum corpus et sensus? Nonne et novo zelo animarum egemus, ut vere simus piscatores hominum, siquidem et nobis dictum a Christo: *Venite post me et faciam vos fieri piscatores hominum* (Matth. 4, 19)? Egemus et nova recollectione spirituali eo majore, quo

sæpius cum mundo et mundanis versamur. Debiles spiritu hac occasione confortantur, imperfecti perficiuntur, errantes in via spirituali reducuntur, lapsi eriguntur et instruuntur, titubantes in vocatione sua confirmantur, boni et spirituales nihil amittunt, sed multum lucrantur, siquidem in spiritu promoventur, novis gratiis cumulantur et magis ac magis sanctificantur juxta illud : *Qui justus est, justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc* (Apoc. 22, 11). Necessaria renovatio omnibus tum ad innovandum, ad conservandum, promovendum et augendum in nobis spiritum vocationis, ad confirmandum propositum in vocatione sua perseverandi. Nullus ergo debet gravari, sed potius debet quivis lætari de hac renovatione votorum, quia tempus ipsi datur exercendi actus meritorios veræ fidei, spei, caritatis, humilitatis, pœnitentiæ, obedientiæ, prudentiæ, justitiæ, confessionis et communionis et renovandi in se amorem et spiritum suæ vocationis, qua renovatione quisque sentit se indigere. Jam examinemus, quomodo nos habeamus circa vocationem nostram et profectum nostrum in spiritu, vel potius notemus nobis defectus nostros, quos corrigere debemus.

II. 1. Sunt, qui vocationem suam non satis magnifaciunt ex oblivione vel ingratitudine, qui non procedunt ex germano spiritu Societatis, qui foris, sed non intus sunt religiosi, dum nimis secure et leviter ambulant, parvi facientes, sive proficiant, sive deficiant in spiritu et observatione regularum. His suadeo ut

sæpius recogitent bonitatem Dei eos paterne vocantis et tam patienter et tamdiu tolerantis et suam gratiam offerentis ad proficiendum in vocatione, ut recogitent tantum beneficium vocationis, quod tam multis negatur, suam vocationem pluris faciant quam omnes mundi thesauros, quotidie Deo pro ea gratias agant, subinde orent : *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis*, (Ps. 67, 29), scilicet per Patrem Ignatium, et sæpe vota sua renovent.

2. Sunt, qui negligenter se colligunt ad devotionem, nec multum usum orandi habent; orant quidem et meditantur, sed sine attentione, vel dormiunt orantes. Hinc maxime oriuntur levitates, dissolutiones, inordinationes per totum diem, et quod ita frigidi sumus in amore et instabiles in propositis tempore tentationum, ita imparati et incompositi ad alios tractandos et ædificandos. Non suppetit tempus ad formandas intentiones, ad innovandam gratiam, ad nos colligendos et examinandos circa spiritus, quibus movemur, juxta illud : *Carissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint* (1. Joan. 4, 1).

3. Sunt, qui parum curant ea, quæ pertinent ad examen generale et particulare, et sic non cognoscunt seipsos, suas passiones, habitus malos et negligentias, nec se vincunt, nec extirpant vitia, nec proficiunt in via Dei.

4. Sunt, qui octavo quoque die quidem confitentur, sed sine dolore et vera siti justitiæ et desiderio

proficiendi ; et quis fructus frequentis communionis? ubi mens elevata et cum Deo unita?

5. Sunt, qui horas recitant, sed fastidiose, sine devotione, nec gustant, quam suavis sit Dominus.

6. Sunt multi, qui audiunt et legunt spiritualia, sed statim obliviscuntur, loquuntur multum, sed nihil ad ædificationem, potius profana quam sacra.

7. Sunt alii incircumcisi in omnibus sensibus, oculis, auribus et lingua, incircumcisi cordibus, scilicet affectibus et desideriis, non quærentes sui victoriam.

8. Sunt, qui raro audiunt in se loquentem Dominum et tardius aperiunt ostium pulsanti.

9. Sunt aliqui nimis prompti et propensi ad gerenda sæcularia, et qui amant occupationes Marthæ, turbantur circa plurima, nec curant illud : *Sequere me. Quid ad te? tu me sequere* (Joan. 21, 22).

10. Sunt, qui caritatem fraternam sæpe lædunt in conversatione, tum verbis tum gestibus, præsertim tempore recreationis, in qua sæpe plus amittunt, quam toto die lucrati sunt, falsa libertate eos decipiente. Pugnat cum hac caritate, quod facile judicant præsentes et absentes, in sermonem aliorum irrumpunt, nimis sunt contentiosi, quidquid venit in buccam, effutiunt, secure et libere definiunt, quæ non intelligunt, et de rebus magnis pronuntiant, alios pungunt, immemores illius : *Qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo* (Joan. 4, 16). Dein aliqui nimis liberi sunt in ridendo neque colloquuntur de spiritualibus

in recreatione, et sic non ædificant alios. Ubi antiqua simplicitas et circumspectio in conversando?

11. Sunt et religiosi nomine quidem, sed non re, qui raro cogitant de procuranda perfectione in se et aliis, multa et magna proponentes et promittentes, sed nec parva præstantes, similes Apostolis fugientibus tempore periculi.

12. Sunt et, qui laborant multum, sed sine debita intentione.

13. Quidam non ponderant, quod per vota perfectum holocaustum Deo obtulerint de bonis, de corpore et animo, et quousque se extendant vota et ligent. Pauperes esse volunt, sed nolunt experiri penuriam, exercere patientiam et mortificationem, superflua desiderantes: hoccine est amare paupertatem ut matrem?

Castitatem alii probant, sed volunt esse casti sine labore et pugna, mortificatione et custodia sensuum.

Æstimant obedientiam, sed ubi illa obedientia exterior et interior, simplex et cæca et velox et perfecta quum operis executione tum voluntate et intellectu, nobis tantopere commendata a Patre Ignatio et præ omnibus virtutibus exercenda? Quidam putant satis esse, si expresse præcepta faciant, et sæpe agunt et res expediunt, quomodo ipsis placet, contra cognitam intentionem Superioris, et præscriptas regulas et ordinationes transgrediuntur.

Sumus religiosi, sumus et per gratiam Dei de Societate, sed in ea debemus crescere et proficere in spiritu, in perfectione, accurate observando consilia

evangelica, vota, regulas nostras et leges nobis præfixas, vocationi nostræ respondendo domi et foris, cogitando, loquendo et agendo, mediis nobis datis utendo diligenter; et sunt quidam fortasse, qui, multis annis viventes in Societate, vix sciunt, an revera profecerint in spiritu Societatis.

III. Quæ faciunda nobis, ut ex renovatione fructum percipiamus?

1. In primis bene examinemus nos ipsos circa vota, regulas, officia etc., ut agnoscamus nostros defectus, in quibus præsertim vivere solemus; imploremus divinam clementiam et gratiam, doleamus de offensis Dei, et non differamus veram pœnitentiam et emendationem, quæramusque Deum, dum dies est, et sol lucet; humilis cognitio et accusatio sui est fundamentum bonæ renovationis. Dein opus est concipere nova desideria, consilia, proposita, perfectius observandi promissa vota et progressus majores faciendi in divino servitio, nova media amplectendo et orationi et devotioni melius insistendo. Sumus et esse debemus viri spirituales, qui, mortui sibi et mundo, Deo soli vivant, ad perfectionem obligati et ad zelum animarum, et ideo debemus esse zelatores in observandis regulis, crucis amatores et nostri victores, ut cum Paulo possimus dicere: *Propter te mortificamur tota die, sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos* (Rom. 8, 36. 37). Dein imitemur Magos, qui, visa stella, Christum parvulum quæsiverunt absque mora, serio et constanter, inventum honorarunt tribus mune-

ribus et se totos ejus servitio addixerunt, nec reversi ad Herodem, sed per aliam viam novam redierunt in patriam suam. Hæc nova renovatio votorum, novus annus requirit a nobis novum studium perfectionis, novum studium orationis et devotionis, novum studium imitandi Christum ; dein, cum vivamus istis temporibus, ubi Ecclesia est valde afflicta, eo magis opus est, nos æmulari veram sanctitatem, ut orationibus et lacrymis, victoria nostri possimus placare iram Dei et verbo et exemplo pugnare contra hostes Christi et Ecclesiæ. *In Deo faciemus virtutem* (Ps. 59, 14).

12. De renovatione votorum.

Miserere animæ tuæ placens Deo et contine et congrega cor tuum in sanctitate (Eccli. 30, 24).

Congregati sumus ad audiendam exhortationem, quæ nos aliquo modo præparet et disponat ad futuram renovationem, sicut moris est in Societate. Hanc exhortationem nescio melius ordiri quam prædictis verbis, quæ monent nos ut placeamus Deo, et ut idcirco animæ suæ quisque misereatur. Quomodo quisque miserebitur animæ suæ? continendo se ab impedimentis, seu mundando se ab omnibus inquinamentis carnis et spiritus et congregando cor in sanctitate congruente vocationi suæ, ad placendum non hominibus, sed Deo, qui est et esse debet finis et principium bonorum omnium. Nisi quis animæ suæ misereatur, nulla juvabit misericordia erga proximum;

quomodo enim sibi malus alteri bonus erit? Dein nonne ipse Christus ait: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur* (Matth. 16, 26)? Nisi ergo quis se contineat ab impedimentis profectus sui spiritualis, non poterit renovari, nec gratum Domino offerre sacrificium, et nisi colligat cor suum et vires omnes applicet ad acquirendam eam sanctitatem et justitiam, quam Deus, vocatio et regulæ nostræ a quolibet exigunt, frustra laborabit et se privabit fructu communicando illis, qui Deum quærunt in veritate et se præparant ad percipiendam gratiam renovationis.

Dicam: I. Quæ impedimenta præcipue removenda. II. Quid faciendum nobis ad percipiendam gratiam renovationis.

1. Impedimentum est, quod non agnoscamus gratiam vocationis, nos gratis a Deo vocatos esse ad tam altum et felicem statum, non cogitantes, quid et quantum habeamus in vocatione nostra, quam magnum Domini donum sit vocatio nostra, qua digni non sumus; et quod idcirco tam male gratos nos quotidie exhibeamus.

2. Defectus bonæ intentionis; agimus scilicet ex consuetudine, non pure ex amore et cum zelo proficiendi, sicut jubet tamen regula septima decima; agimus magis exterius quam ex corde et spriritu interno et desiderio placendi illi, cui nos totos obtulimus et obstrinximus.

3. Defectus cognitionis imperfectionum nostrarum, quæ progressum impediunt; non enim examinamus nos ipsos in regulis quasi in speculo, ut maculas nostras agnoscamus; hinc vivimus cum nostris defectibus, sequentes nostras inclinationes naturales et consuetudinem.

4. Defectus bonæ et seriæ voluntatis, quæ et se illico avertit a cognito malo, et se convertit ad Deum, abnegando se et naturalem amorem et propensionem ad mundum, carnem et seipsum, quæ quisque in se sentit.

5. Defectus fortitudinis ad pugnandum contra hostes nostros, a quibus sæpe fallimur et vincimur, et quos segnitie nostra confortamus; deficimus scilicet in zelo vincendi malas inclinationes et passiones veteris Adæ, et corrigendi defectus nobis ostensos.

6. Defectus in perfecta observatione votorum; servamus quidem paupertatem, sed non honoramus ut dominam nostram, non amamus ut matrem; scimus abundare, sed nescimus penuriam pati; quærimus nostra commoda et superfluitatem, non cogitamus de paupertate Christi, Mariæ, Apostolorum, Patrum nostrorum; ubi est praxis paupertatis?

Servamus castitatem, sed non armamur, non pugnamus oratione cum Paulo pro hoc pretioso thesauro, nec satis adhibemus custodiam sensuum.

Magnifacimus obedientiam, sed desunt nobis oculi ad Christum in Superiore spectandum, deest nobis humilitas et simplicitas religiosa in subjiciendo cæce

intellectum nostrum et voluntatem Superiori, deest nobis indifferentia. Sumus nimis prudentes in oculis nostris; nondum perfecte mortui sumus, sed adhuc vere vivimus; nondum voluntatem nostram totam tradidimus in manus Superiorum, non semper optimum judicamus, quod jubetur, sed contradicimus corde et ore, excusamus nosipsos; tardi sæpe sumus et pigri in obediendo; abundamus in nostro sensu, etiam cum scimus mentem Superioris, et sic augemus crucem nobis sine causa, nec cogitamus de perfectione virtutis hujus, qualem P. Ignatius præscripsit et præ omnibus virtutibus exerceri voluit a nostris.

7. Defectus in fraterna dilectione, quam corde, ore et opere offendimus, præsertim tempore recreationis. Judicamus alios, et pungimus, irrumpimus in eorum colloquia sumusque sæpe contentiosi, immo etiam ultionis cupidi, et parvi facimus hanc libertatem et audaciam sine respectu fabulandi, judicandi et pungendi alios, licet in his multas regulas violemus et contristemus fratres et Angelos. Obliti modestiæ religiosæ, nos aliquando gerimus sicut sæculares signis, verbis et gestibus, sumus et valde curiosi et etiam astuti ad expiscandum ab aliis occulta, quæ ignoramus. O quantum recessimus a candore, simplicitate et spirituali amore primorum fratrum!

8. Defectus gaudii spiritualis, quod simus filii tantorum Patrum, membra talis Societatis et participes tot meritorum.

9. Defectus confidentiæ in Dei bonitatem, qui nos vocavit et promittit gratiam sperantibus et orantibus et pugnantibus, qui paratus est dare magis, quam nos parati sumus recipere, qui tot millia in simili vocatione custodivit et armavit et coronavit omniaque facit facilia et jucunda diligentibus.

10. Defectus ardentis devotionis in exercitiis nostris spiritualibus et spiritualis collectionis; deest nobis zelus, amor et usus orationis et meditationis quotidianæ, tempore orationis implicamur phantasmatibus, non curamus examen particulare, non proficimus ex confessione, celebratione vel communione frequenti. Mens implicatur nimis occupationibus externis, in quas totos nos effundimus, nimis in illis solliciti, curiosi in cognoscendo, improvidi in custodia sensuum, et hinc non proficimus in familiaritate cum Deo, frigidi sumus in devotione, et non progredimur in vocatione, cæce ambulamus, parvi facimus defectus et peccata, non attendimus ad præcipua, quæ requiruntur a nobis, quæ sunt: puritas conscientiæ, desiderium et propositum quotidie proficiendi, observatio regularum, amor instituti et ejus spiritus, amor mortificationis et crucis, zelus animarum.

II. Quid vero faciemus, fratres, circa hanc renovationem?

Ante omnia læto spiritu gratias agamus Deo, quod sine omni merito vocaverit nos e vasto mundi mari ad portum religionis, in suam electam et frugiferam vineam, et statuerimus vivere et mori sicut membra

Societatis, non obstantibus quibusvis tentationibus. Certe vocati ad hunc statum, non possumus in mundo majorem habere consolationem et occasionem lætandi, nec firmiorem fiduciam Deo serviendi et salvandi animas nostras. Ingratus est Deo, qui non sæpe de hoc beneficio cogitat et gratias agit, quasi dicat : *Pater meus et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me* (Ps. 26, 10). *Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum* (Ps. 83, 11). *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam* (Ps. 131, 14). *Ego autem in Domino gaudebo et exultabo in Deo Jesu meo* (Habac. 3, 18). *Quis me separabit a caritate Christi* (Rom. 8, 35)? *Scio, cui credidi et certus sum, quia potens est depositum meum servare* (2. Tim. 1, 12). *Dominus regit me et nihil mihi deerit* (Ps. 22, 1).

Dein *scrutemur vias nostras et quæramus et revertamur ad Dominum* (Jer. Thren. 3, 40) ; recogitemus scilicet, quæ sit vocatio nostra : *videte enim vocationem vestram, fratres*, (1. Cor. 1, 26), et quomodo in tali vocatione se quisque gesserit, ita ut agnoscat suos defectus et suam ingratitudinem, suam segnitiem et pigritiam in via Domini, et surgamus ex lecto veteris pigritiæ et negligentiæ et vitiorum.

Plangamus peccata nostra, et si non possumus ea plangere, sicut David et Petrus amare planxerunt, humiliemus nos cum publicano et doleamus, quod indigni simus in cœlum respicere, et percutiamus pectus nostrum, fontem omnis ignorantiæ, infirmitatis

et malitiæ nostræ, omnium defectuum contra vota atque regulas, dicendo: *Propitius esto mihi peccatori* (Luc. 18, 13), cum vero proposito: *Dixi, nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ Excelsi* (Ps. 76, 11). Sic occurramus Patri hactenus offenso, ex corde dicentes cum filio prodigo, qui dissipaverat substantiam: *Pater, peccavi in cœlum et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenariis tuis* (Luc. 15, 18. 19), et cum David: *Redde mihi lætitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me* (Ps. 50, 14). Quæramus Dominum, dum inveniri potest, sicut Magi quæsiverunt serio et constanter, donec invenirent gratiam et gratiæ fontem in Bethlehem. Procidamus et adoremus illum, qui ex mera gratia nos vocavit et cupit nobis contritis, non modo benedictionem, sed remissionem peccatorum, gratiam et caritatem cum omnibus donis et virtutibus Spiritus Sancti, stolam primam, annulum et calceos cum omnibus aliis ornamentis largiri. Propositum et desiderium eliciamus vitæ perfectioris, ad quam obligamur coram Deo et mundo; sumus enim Nazaræi, et circumcisi filii Abrahæ, filii Sanctorum et debitores consiliorum evangelicorum et vitæ apostolicæ, et debemus ædificare eos, quibuscum versamur, sive amici sunt sive hostes.

Offerentes dein Christo nostra munera, id est, vota, offeramus nos ei in perpetuum holocaustum, ut renovati spiritu mentis nostræ et, quæ quidem retro sunt, obliviscentes, ad ea vero, quæ sunt priora, extendentes nos ipsos, *ad destinatum* persequamur, *ad bravium*

supernæ vocationis Dei in Christo Jesu (Phil. 3, 13. 14), in solidis nos exerceamus virtutibus et, mortui nobis et mundo, propriæ et aliorum saluti et perfectioni vacemus.

Opus ad hoc pugna, sed non coronatur nisi qui legitime certaverit (2. Tim. 2, 5). Opus nobis superlucrari cum acceptis talentis (*negotiamini, dum venio*, Luc. 19, 13). *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino* (Ps. 30, 25), et studeamus quotidie similiores fieri Christo et Apostolis, continue finem nostræ vocationis intuentes.

Manda, Deus, virtuti tuæ et confirma hoc, quod operatus es in nobis (Ps. 67, 29).

13. De renovatione votorum.

Notum est omnibus, instare tempus renovationis votorum, quo scilicet quisque nondum professus tria religionis vota jam pridem facta coram Deo et omnibus Sanctis renovare debet, cum nova sui oblatione et cum proposito quidem illa posthac exactius observandi et in hac Societate per Dei gratiam sub vexillo Christi ad mortem usque perseverandi. Et ne roget quis, quid hæc votorum nostrorum renovatio conferat; nam constat, eam esse valde salutarem. Monet nos omnes de gratia vocationis, ut agamus gratias Deo pro tanto beneficio, quod multis negavit; monet de vinculis, quibus nos Deus attraxit et sibi univit; monet et de multis mediis nobis in Societate datis. Nihil magis

prodest ad purgationem, illuminationem, et confortationem omnium, nihil magis terret satanam et fugat ejus tentationes, nihil tenet potentius in ordine nostros, nihil nos æque corroborat in vocatione nostra contra mundum et ejus opes, contra carnem et ejus blandimenta, contra propriam nostram voluntatem tam proclivem ad malum et infirmam, nihil gratius est Christo, quam cum confirmamus propositum sequendi ipsum in via paupertatis, castitatis et obedientiæ, qua nos præcessit. Ut autem fructuosa nobis sit, removenda sunt impedimenta renovationis spiritus, et adhibenda aliqua media. De his agemus in præsenti.

I. De impedimentis tollendis.

Progressum in via spirituali et spiritus renovationem impediunt defectus timoris, defectus bonæ voluntatis, ignorantia obligationis et usus non rectus armorum spiritualium.

1. Defectus divini timoris, qui est initium sapientiæ et omnis boni vitæque spiritualis fundamentum. Si timeremus Deum, non ita leves essemus in offendendo Deum, Superiores et proximos per transgressionem regularum, sed timeremus pœnam inobedientium, quæ gravior est in religiosis quam in sæcularibus contra suum statum peccantibus. *Omni, cui multum datum est, multum quæretur ab eo, et cui commendaverunt multum, plus petent ab eo* (Luc. 12, 48). Et qui plus promisit et magis se obligavit, non solvens dein debitum, juste plus punitur, sicut Judæi, ob majorem Dei et legis gratiam, magis puniti sunt temporaliter et

spiritualiter. Magnum est hoc impedimentum: tam parvi æstimare violationem regularum et sic leviter transire sine contritione et fletu: *Sapiens timet et declinat a malo: stultus transilit et confidit* (Prov. 14, 16), scilicet ob crassam conscientiam, quæ facit, ut in tenebris ambulemus et simus contenti veteri consuetudine. *Servite Domino in timore*, ait propheta (Ps. 2, 11). *Initium sapientiæ timor Domini* (Eccli. 1, 16). *Corona sapientiæ timor Domini* (Eccli. 1, 22). *Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis* (Ps. 111, 1).

2. Defectus bonæ et seriæ voluntatis et famis spiritualis ad acquirendam perfectionem vocationis nostræ, quam Deus, obedientia et institutum a quolibet nostrum requirunt. Probamus quidem finem Societatis et media nobis ad finem nostrum in Societate proposita, sed illa media non debite apprehendimus et exercitamus; permittimus, bonam voluntatem nobis in illis adhibendis tepescere, et scimus egregie nobiscum dispensare, atque ita semper nobis manemus similes, nec progredimur in via divini servitii, et quando annus finitur, tales sumus sicut prius aut etiam deteriores, id est, nec calidi nec frigidi. Hoc certe non est habere bonam voluntatem, et quanto minor illa est, tanto minorem pacem intus et foris experimur. *Pax hominibus bonæ voluntatis* (Luc. 2, 14). Nihil habet homo melius et ditius bona voluntate, sed hæc in eo consistit, ut eam divinæ voluntati subjiciamus, et ex animo quæramus et probemus, quæ sit voluntas Dei bona et beneplacens

et perfecta (Rom. 12, 2), et eam faciamus, esurientes et sitientes justitiam, nostræ vocationi, nostris regulis congruentem.

3. Defectus est ignorantia vel potius oblivio obligationis nostræ, quomodo vota nostra facta Deo nos adstringant, ut simus mundo et nobis ipsis mortui solique Deo vivamus, ut per evangelica consilia ad omnem perfectionem nos extendamus et Christum ipsum sequamur in via perfectæ paupertatis, castitatis et obedientiæ, cum continua nostri abnegatione et crucis portatione, et in dies æmulemur charismata meliora. *Æmulamini autem charismata meliora, et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro* (1. Cor. 12, 31).

4. Defectus dexteritatis acquisitæ in tractandis armis spiritualibus. Arma nostra sunt examen, oratio, meditatio, sed non diligenter nos ipsos judicamus; deest nobis zelus et fervor in orando adhibendus.

II. De mediis.

1. Medium magnum est habere sui displicentiam ex intuitu transacti anni cum tot defectibus. *Caritatem tuam primam reliquisti, memor esto itaque, unde excideris, et age pœnitentiam* (Apoc. 2, 4. 5).

2. Est humilitas, quæ nascitur ex cognitione sui et defectuum. Quisque ergo se humiliet, reputet se rudem et ineptum discipulum Christi et membrum indignum Societatis, qui tam parum adhuc norit de vero spiritu vocationis suæ et tam parum profecerit post tot beneficia et proposita.

3. Est amor vocationis. *Videte enim vocationem vestram, fratres* (1. Cor. 1, 26). Æstimate, amate, habentes eam pro summo beneficio, pro summa consolatione in hac vita et pro summa fiducia æternæ salutis, et *digne ambuletis vocatione, qua vocati estis* (Eph. 4, 1).

4. Est bona intentio, qua scilicet omnia nostra operemur, non ex consuetudine vel inclinatione naturali, sed ex puro amore Dei et proximi. Hinc opus est examine particulari et quotidiano, quo valde indigent perfecti sicut et imperfecti, si velint pravas naturæ inclinationes et affectiones vincere, bonum conservare spiritum. Alioquin difficillimum est in via Dei progredi. *In omnibus operibus tuis præcellens esto* (Eccli. 33, 23).

5. Est usus armorum, quæ præscripta sunt nobis, ut boni et vigilantes simus milites Christi, nec nobis fidamus. Hæc autem arma congruentia sunt: studium orationis, amor silentii, custodia sensuum, victoria veteris hominis, mortificatio interior et exterior, paupertas conjuncta cum patientia, castitas adjunctam habens caritatem, obedientia cum vera et plena resignatione voluntatis, desiderium efficax perfectionis, zelus animarum et præcipue firma fiducia de adfutura gratia Dei nobis necessaria. *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram* (Rom. 8, 26). *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere* (1. Cor. 10, 13). *Omnia sunt possibilia credenti* (Marc. 9, 22). *Unctio ejus docet vos de omnibus* (1. Joan. 2, 27).

Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient (Isai. 40, 31). Fiduciam nostram roborent merita Christi, preces Sanctorum et Societatis merita.

14. De renovatione votorum.

Renovamini spiritu mentis vestræ et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis (Eph. 4, 24).

Recte et laudabiliter nostri se renovant seu vota sua renovant die dominica, vel quotidie etiam, et maxime tempore tentationis. Sed præter hanc renovationem privatam est alia renovatio solemnis, bis in anno a nostris non professis instituenda. Hæc autem fit tum ob Superiores, tum ob subditos, ut cognoscant, utrum profecerint an defecerint. Cum nunc instet tempus hujus renovationis, dicam :

I. Cur quisque non gravate, sed libenter acceptare debeat renovationem.

II. Quomodo facienda et instituenda.

III. Cur sæpe impediatur fructus renovationis.

I. Cur renovatio libenter facienda?

1. Renovans vota sua dat testimonium catholicæ fidei.

2. Renovare vota est dare gloriam Deo et ejus omnipotentiæ et prædicare Christum et ejus consilia et promissiones amplecti.

3. Est, relictis retibus, sequi Christum.

4. Est evangelicum esse et doctrinam Christi acceptare (Matth. 16, 24) : *Qui vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me.*

5. Est opus apostolicum.

6. Est abnegare seipsum penitus, crucifigere carnem, castrare seipsum propter regnum cœlorum, intrare per angustam portam ; est circumcidere præputium cordis sui ; est voluntatem firmiter et plene abnegare plus quam in baptismo ; privat enim se religiosus proprietate, voluptate et libertate propria, etiam in parvis.

7. Facit hominem nobilem, regem, imitatorem trium Magorum.

8. Per vota accedimus proxime ad Deum et Dei thronum.

9. Vovens baptizatur, ungitur, confirmatur, fit nova creatura, celebrat pascha cum memoria exitus ex Ægypto ; celebrat nuptias cum sponso cœlesti.

II. Quomodo facienda renovatio?

1. Satisne est recitare e scripto formulam : *Omnipotens æterne Deus?* Sane non sufficit hic sola lingua, sed opus est imprimis, ut, quod lingua fatetur, id procedat ex corde et proposito, ex voluntate et intentione præstandi et servandi coram Deo et mundo, non ad tempus, sed perpetuo usque ad mortem sine omni revocatione et retractatione.

2. Opus est, hanc renovationem fieri cum vera et stabili fide, certo tenendo, juxta certam professionem

catholicæ fidei, quod ejusmodi promissa et vota sincere facta magis Deo placent et homini sunt magis meritoria et apud omnes laudabiliora, quam si quis sine votis vitam ageret spiritualem in vera paupertate, castitate et obedientia. Nihil enim Deo gratius est, quam hominis voluntas bona, radix omnis operis boni, quæ suam quasi libertatem relinquit et vendit Creatori seque obligat inviolabiliter ad se abnegandum, quod contra naturam est hominis et valde molestum veteri Adæ, et ad amplectendam paupertatem, quæ plane contraria mundi amatoribus, et ad castitatem servandam, quam odit carnalis homo et impossibilem sæpe putat, et ad obedientiam Superiori in religione præstandam, quæ propriæ voluntati, hominibus congenitæ, nullum omnino locum relinquit. Credit enim cum catholicis religiosus ita vovens, quod, quo difficilius est homini talia præstare, tanto sit ipsi magis meritorium suam voluntatem quasi vinculis adstringere et ligare firmiter, ut melius et perfectius serviat Deo, longiusque recedat ab omni cura, amore et desiderio hujus mundi, utque sine retibus sequatur Christum, pauperem, castam et obedientem vitam sibi eligentem. Sic et Beata Virgo ex inspiratione Spiritus Sancti prima virginitatis votum fecit, multæque viduæ tempore Apostolorum promiserunt in cœlibatu vivere, licet non omnes fidem datam servaverint, Apostolo teste (1. Tim. 5, 12). Tum dicunt doctores, quod Apostoli ex voto servaverint paupertatem, et ex Dionysio, Pauli discipulo, Philone et Eusebio aliisque constat, monachos ab initio Eccle-

siæ fuisse professos, quod juxta evangelica consilia perfectius viverent, mundo plane mortui et sub uno Superiore in paupertate et castitate commorantes.

3. Opus est fiducia ingenti erga Deum, qui velit et possit facta vota probare et efficacia reddere per gratiam suam, ita ut, non obstante fragilitate naturæ et imbecillitate humanarum virium, confirmet hominem et conservet in sancta illa voluntate primum oblata. Non enim qui vovet, super se ædificat suisque fidit viribus, sciens illud: *Maledictus homo, qui confidit in homine* (Jerem. 17, 5); sed confidit in Deo vivo Deique promissis: *Petite et dabitur vobis, quærite et invenietis* (Matth. 7, 7); dat ergo gloriam Deo Deique omnipotentiæ, cui nihil difficile, et laudat ejus bonitatem, qui tot millia infirmorum utriusque sexus ad vovendum excitavit et confirmavit et defendit contra omnes tentationes mundi, carnis et satanæ, et cujus Spiritus adjuvat nostram et omnium rite voventium infirmitatem, ita ut vota servare, non modo sit Dei servis et ancillis possibile, sed et facile, jucundum et delectabile, quia nihil grave amantibus. Confidimus ob Dei bonitatem, Christi consolationem, S. Spiritus gratiam, exemplorum turbam, mercedis amplitudinem, promissorum magnitudinem.

4. Opus est et sollicite gratiam Dei quærere et petere a Deo ad felicem renovationem; petere, inquam, a Deo Patre, ut castitatem corporis et animæ in nobis conservet et augeat ac defendat contra omnes fragilitates carnis et contra omnia carnalia desideria, quæ

Sancti etiam inviti sustinere coguntur, ut virtus eorum in infirmitate perficiatur. Petatur et a Deo Filio vera et miranda virtus obedientiæ, quam ipse perfectissime docuit, cum factus est in terris obediens Patri, immo et inimicis capitalibus usque ad mortem crucis. Petatur et a Spiritu Sancto donum paupertatis, ut gratia illius libenter experiamur in opere, quod simus hostes superfluitatis, abundantiæ et opulentiæ, amatores autem parcitatis, frugalitatis et tenuitatis, breviter, amatores crucis. Ad hoc committamus Sanctæ Trinitati tres vires animæ ad hæc tria vota rectius observanda, nempe ut Pater suam potentiam infundat, Filius sapientiam seu lucem intellectus et Spiritus Sanctus suam caritatem.

5. Opus est hæc tria vota ornare et confirmare hanc nostram oblationem tribus aliis virtutibus, quæ nisi adsint, nunquam erimus vere pauperes, casti et obedientes, ut promittimus. Paupertas omnino requirit adjunctam sibi patientiam, ob quam homo dicere possit: *Scio abundare et penuriam pati*. Falluntur, qui putant satis esse vovere, et, si parum desit in cibo, si accipiant vestimentum vel indusium scissum et laceratum, illico conqueruntur et murmurant. Deest tibi, frater, aliquid? patientiam habe, ob paupertatem huc venisti, in schola paupertatis versaris, pauperum parentum es filius, paupertatem promisisti Deo, et vidisti in Christo, cui nunquam satis potes conformari in nuditate, fame, siti, necessitate et cruce et tribulatione. Castitas requirit divinam caritatem, quæ Christum fecit nobis spon-

sum et animam castam sponsam ejus, ut et ipse illam diligat et vicissim ab illa diligatur, ut et ipse glorificetur in corpore nostro, sicut in templo suo mundo, et corpus rursus portet tam pretiosum thesaurum. Errant, qui putant, se hostem carnem vincere, nisi exerceant se in spiritu et fiant ardentes in caritate Dei, quæ ignis est comburens omnem impuritatem carnis et voluptatum. Ubi caritas, ibi pax, gaudium, castitas, benignitas et omne bonum. Obedientia requirit simplicem humilitatem, quæ captivat intellectum in obsequium Christi et ligat voluntatem, ut per omnia submittat se voluntati Superioris. Si humilis est et simplex, non cogitabit, se ad majora mitti posse, sed cæcam præstabit obedientiam, paratus æque ad omnia. Hæc obedientia requirit etiam indifferentiam et resignationem animi et satis habet consolationis in difficultatibus omnibus, cum cogitat: Deo promisi obedientiam, non in uno, sed per omnia, non uno anno, sed semper in vita mea duraturam, non sub uno, sed sub quolibet Superiore in hac Societate, non ob hominem, sed propter Deum meum, cui volo et debeo esse fidelis in minimis sicut in maximis.

6. Opus est gaudio spirituali, quod Deus dignatus est nos vocare ad hanc gratiam, et nos elegit et assumpsit, licet indignos, nosque participes fecit tanti beneficii, ut in tam electam vineam intraremus, et membra essemus talis Societatis et filii tantorum Patrum.

III. Cur impediatur fructus renovationis?

1. Non cogitamus, quanti momenti sit ista renovatio, quam solemnis actus, quo initur fœdus inter Deum et hominem; homo seipsum offert Deo et Deus promittit gratiam hic et gloriam in futuro.

2. Non vere amamus Deum, cui tamen nos totos dedimus; non enim ex puro ejus amore agimus, sed ex consuetudine nostra peragimus vel ex affectione, inclinatione naturali, cum respectu humano, nec curamus ignem amoris excitare per meditationem, orationem, lectionem, mortificationem.

3. Falsa nobis est securitas ob vota exterius servata.

4. Deest nobis constantia, facimus sicut sæculares circa pascha.

5. Non amamus commune Societatis bonum, unde non oramus pro germano ejus spiritu et zelo animarum obtinendo, non obedimus ejus ordinationibus, non applicamus mentem ad officium nostrum ejusque regulas, non gaudemus ob bona ejus, nec dolemus ob mala ejus et defectus nostrorum, non solliciti sumus pro operariis ejus, non sumus grati erga benefactores, non oramus pro male affectis erga eam. Si viva essemus membra corporis, vigeret in nobis major cura circa interiorem hominem et studium majus perfectionis.

15. De renovatione votorum.

Albertus Magnus ex tribus votis, quibus se obligant religiosi, probat, eos debere esse avulsos et separatos

ab omnibus creaturis et soli Deo unitos, et quidem modo perfectissimo, ut inter ipsos et Deum nihil sit medium. Et revera ita se res habet; religiosus enim per vota religionis abjicit omnia impedimenta caritatis, quæ hominem Deo unit. Per votum paupertatis abdicat se omni possessione et amore bonorum temporalium, quæ mundus continet, ut Deum solum possideat; per votum castitatis immolat voluptates corporis et corpus suum Deo consecrat, ut illud tanquam vivum Dei templum immaculatum conservet; per votum obedientiæ præcipuam animæ suæ partem, voluntatem scilicet, immolat et subdit irrevocabiliter voluntati Superioris, ut Dei voluntatem certius faciat. Ergo revera votorum institutio, finis et fructus est, ut religiosus spolietur et nudetur rebus omnibus, solique Deo adhæreat intellectu et voluntate, per cognitionem ejus et amorem. Quo magis autem Deo sic erit unitus, eo propinquior fiet statui innocentiæ et perfectionis seque verum probabit religiosum, qui mundo et sibi mortuus soli Deo vivit. *Qui adhæret Domino, unus spiritus est* (1. Cor. 6, 17). Religiosus sic adhærens Domino et ei unitus per amorem et unus spiritus cum eo, futuram vitam jam hic inchoat; unum illud necessarium invenit et solum illud cogitat et sic nobilissimum tenet exercitium. Nam separatus a mundo et omnia temporalia, quasi non sint, reputans, de manu divinæ providentiæ accipiens omnia, sive prospera sive adversa, mentem habet elevatam ad Deum, ejus contemplatio, vita et operatio est in solo Deo, circa eum, propter eum et ad eum

ipsum; et in hac contemplatione et dilectione Dei beatus, gaudia cœlestis beatitudinis prægustat. Quo longius autem religiosus distat ab hoc studio separandi se a creaturis et adhærendi Deo, eo evidentius probat, se fictum esse religiosum, et eo magis degenerat a professione et officio suo et est eo magis infidelis Deo eoque egentior, obscurior, infirmior et miserior remanebit. Jam nemo nostrum debet dubitare, se a Deo specialiter vocatum esse ad hoc institutum, ut mundo et sibi mortuus soli Christo vivat. Hæc enim est summa nostræ vocationis, hæc summa votorum nostrorum, ut, abjectis et superatis impedimentis, ad perfectionem caritatis accedamus, quæ vinculum est perfectionis, finis legis et summa virtus, nos uniens Deo ut fini ultimo humanæ mentis.

Quid vero est vota renovare? Est instaurare propositum ea posthac perfectius adimplendi. Vota nostra sunt illa firma vincula, quibus Deus nos a mundo abstraxit et ad se attraxit et sibi univit; in renovatione autem illa magis firmamus, ponderando obligationem votorum et armando nos contra tentationes quotidie circa illa occurrentes. Consideremus ergo, quid promiserimus vovendo paupertatem, castitatem et obedientiam.

Quid promisimus et quid renovando promittimus?

1. Promittimus, nos futuros membra Societatis Jesu et, quantum in nobis est, perpetuo in ea victuros et idcirco nos locum non daturos tentationibus ullis, quæ nos separare possent a tali vocatione, quam semel

sumus amplexi. Agnoscat quisque gratiam vocationis suæ et reputet se indignum vocatione tanta et gratias crebras agat Deo, gratis et super omne meritum vocanti et hactenus conservanti in Societate et per hoc liberanti a mille curis, periculis, tentationibus et laqueis, præsentibus et futuris, ex parte corporis et animæ. *Ego autem in Domino gaudebo et exultabo in Deo Jesu meo* (Habac. 3, 18). *Quis me separabit a caritate Christi* (Rom. 8, 35)? *Elegi abjectus esse in domo Dei mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum* (Ps. 83, 12).

2. Vovemus, non solum nos velle vivere in Societate, sed et in ea servare paupertatem perpetuam, quæ multa quidem complectitur et non ab omnibus recte intelligitur et observatur. Sunt enim quidam, qui tota fere vita fuere pauperes, antequam venirent ad Societatem et postea nullum defectum sentire volunt, vel raro cogitant, quomodo debuerint paucioribus esse contenti in sæculo, et quod plura nunc sæpe habeant, quam mereantur, in cibo, potu, vestibus etc. Sunt alii, promittentes quidem paupertatem, sed nimis solliciti de necessariis et, cum deest quid, norunt murmurare intus et aliquando foris suam ostendere impatientiam et contra hunc vel illum suspiciones admittere et cogitare, cur ille habet et ego non? Sunt etiam qui, quia fuerunt ditiores in sæculo, aliquando gloriantur, quasi sint meliores aliis ad Societatem venientibus, qui pauperiores fuerunt, et putant, se multa reliquisse et donasse ad causas pias de bonis suis. Ad quid ergo

se obligat religiosus vovens paupertatem? Obligat se ad se abdicandum bonis omnibus, quæ habuit vel habere posset in sæculo, ita ut post vota putet, se mortuum esse et nullum jus nullamque potestatem habere de illis amplius ordinandi vel ea possidendi vel iis utendi, et quidem ob Dei amorem, Christi consilium et exemplum; ad excludendum omnem abundantiam ac superfluitatem in iis, quæ habere potest, ita ut sit contentus habere, quæ sibi et vitæ suæ necessaria sunt, nec plus animo desideret. Ubi enim est superfluitas vel nimia cura, non est vera paupertas spiritus vel spiritus paupertatis, et ita multi, qui servant paupertatem exteriorem, animo divites esse possunt coram Deo, desiderantes vel libenter accipientes munera. Tandem religiosus obligat se etiam ad exuendum omnem affectum ad res, ad communem usum domus vel ad suum usum pertinentes, v. g. ad libros, imagines, ita ut non ægre ferat, illa sibi eripi. Ubi non est perfecta renuntiatio, non est caritas perfecta, nec obedientia perfecta, nec paupertas evangelica et apostolica.

Qualis jam paupertas nobis in regulis et constitutionibus commendatur?

Diligant omnes paupertatem ut matrem (Reg. 24. Summ.), id est, non solum promittant paupertatem, nec solum credant, eam esse virtutem evangelicam, primam omnium a Christo in Bethlehem nato exercitam, primam ab ipso in monte prædicatam, et magnam in cœlo habere remunerationem, sed diligant ut ma-

trem; non autem amat ut matrem, quem pudet mendicare aut qui veretur vestes habere detritas vel non libenter patitur inopiam.

Adjungitur in regula: *Et juxta mensuram sanctæ discretionis suis temporibus paupertatis effectus aliquos experiantur*, sicut Pater Ignatius primique Patres sunt experti, immo et Christus et Apostoli per mundum peregrinantes. Pulchrum exemplum habemus in Xaverio nostro. Certe nullus valde gloriari potest de sua paupertate, qui eam non est expertus, nec experitur, sicut nec miles jactare potest suam virtutem, qui non pugnat in campo.

Nulla re tanquam propria utantur. Omnia enim debent nobis ut fratribus esse communia, sicut et primi fecere christiani, nihil suum et proprium habentes vel nominantes, de quibus ait Luc.: *Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia* (Act. Apost. 4, 32).

Paratique sint ad mendicandum ostiatim, quando vel obedientia vel necessitas id exiget. Hoc opus et exercitium prodest multum nostris, ut cognoscant seipsos, an sint fundati in humilitate et contemptu sui et mundi; exercentur in confidentia erga Deum, in patientia, cum parum eleemosynæ colligunt, vel sub dio debent dormire, male tractantur in via, asperitatem, difficultatem itineris sentiunt; discunt orare pro benefactoribus, qui se liberales exhibent erga mendicantes;

in talibus peregrinationibus inveniunt occasionem cognoscendi miserias mundi, ædificandi proximum et exercendi zelum animarum, admonendo etc.

Meminerint omnes, se gratis dare debere, quæ gratis acceperunt, nihil stipendii vel præmii humani admittendo, sed suam sanctam libertatem retineant, quia munera accipere est libertatem vendere (exemplo nobis sunt Elisæus, qui munera Naaman non accepit, Daniel, qui dona Balthasaris regis contempsit); puram quærendo Dei gloriam et proximorum ædificationem juxta exemplum Apostolorum, qui pauperes bonorum temporalium ditabant mundum bonis spiritualibus, et gratis servierunt Judæis et gentibus, non quærentes, quæ sua erant, sed quæ Jesu Christi. *Non enim quæro, quæ vestra sunt, sed vos*, ait Paulus (2. Cor. 12, 14).

Praxis quotidiana in exercenda paupertate.

Accedendo ad mensam, indignum se quisque reputet pane, quem edit; dein perpendat miseriam tot pauperum, fame passim pereuntium ex defectu cibi corporalis et spiritualis; intueatur Christum felle et aceto potatum; aliquid sibi subtrahat de cibo vel potu ob finem specialem, vel ut abneget seipsum, sibi vim faciat et se conformet exemplo Patrum, qui et necessaria vitæ sibi subtraxerunt; et hæc sibi cogitanda inter edendum proponat simulque sit modestus et attendat lectioni ad pascendam animam.

3. De castitate non opus est dicere, nisi quod nostræ regulæ monent, eam in nobis angelicam esse oportere et corporis et mentis munditia. Angeli autem

semper sunt mundi, sancti et immaculati, hostes omnis turpitudinis et amatores omnis castitatis et puritatis; amant, custodiunt, defendunt amantes castitatem.

4. Qualis promittitur a nobis obedientia?

Obedientia non coacta et servilis, sed religiosa, quæ consistit non solum in executione externa præcepti, sed in unione voluntatis nostræ cum voluntate Superioris et in unione intellectus, illum captivando in obsequium Christi; quæ scilicet intueatur Christum in Superiore et procedat ex spiritu reverentiæ et amoris sitque non communis, sed insignis. Religiosi enim Societatis insignes sint oportet in obediendo, non in his solum, quæ obligationis sunt, verum etiam in aliis, etiamsi nihil aliud quam signum videretur voluntatis Superiorum, et non mandatum. Contra hanc obedientiam agunt, qui judicium et voluntatem suam non conformant judicio et voluntati Superioris, aperte ipsi contradicentes, judicantes de illius ordinatione et regimine, murmurantes secum vel cum aliis contra illa, quæ exiguntur, externam tantum præbentes obedientiam, procedentes in spiritu timoris et tristitiæ sine gaudio spirituali, libenter se excusantes, tardi et pigri in exequendis injunctis, distinguentes inter Superiores, inter loca et officia, nimium prudentes in suis oculis, non simpliciter confidentes Dei vicariis, nec sinentes se ab aliis regi et gubernari quasi senis baculum, expectantes expressum præceptum, licet voluntatem norint, et qui volunt, Superiores potius sibi

parere, quam ipsis se subjicere. Hæccine obedientia socii Jesu Christi?

Vovimus omnes servare perpetuam paupertatem, castitatem et obedientiam in hac Societate. Hæc tria media sunt ad finem nostrum proposita et maxime necessaria, ut ita nos et alios salvemus, nos et alios ad perfectionem inducamus. Propterea in his præcipue vigilandum nobis, et quisque quotidie in his se examinare et perficere debet, cogitando sæpe illud, quod dicere solebat Ignatius: *Omnia ad majorem Dei gloriam*. In his enim summa Dei gloria, in his profectus noster, in his vocatio et exercitatio nostra quotidiana. Hinc, ut præsens renovatio bene fiat, meditemur ponderosa verba Patris Polanci: *Vocationis nostræ summa est, ut simus homines mundo crucifixi, et quibus mundus ipse sit crucifixus, ut simus homines novi, qui suis se affectibus exuerint, ut Christum induerent, homines sibi mortui, ut justitiæ vivant, qui, ut divi Pauli verbis utar, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis, se Dei ministros exhibeant et per arma justitiæ a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, per prospera demum et adversa magnis itineribus ad cœlestem patriam contendant;* homines armis instructi, quibus contra tres potentes et infensissimos hostes fortiter depugnent, ita ut concupiscentiæ carnis castitatem, concupiscentiæ oculorum paupertatem, superbiæ vitæ

obedientiam norint opponere : castitatem dico, quæ angelica sit puritas, pro nostra fragilitate præstandam ; paupertatem porro, quæ ad apostolicum illum mundi contemptum perfectamque rerum omnium abrenuntiationem accedat ; tum obedientiam, qua præcipuam et nobilissimam nostri partem in religione Deo consecramus, tam expeditam, ut ne latum quidem unguem, ut dicitur, a Superiorum præscripto declinemus, ut non solum actio præceptum et voluntas voluntatem, sed, quod difficilius est, noster etiam intellectus in iis, quæ ad obedientiam spectant, Superioris intellectum sequatur.

Professorum est, ut reliquos ordine et gradu antecellere, sic exemplo et cœlesti quadam conversatione superare, qui et tanquam morti destinati eo sint animo, ut ad minimum summi Pontificis et Christi in terris Vicarii nutum quovis terrarum, quovis gentium lætissimi proficiscantur, ut Christum annuntient, summique beneficii loco ducant sanguinem suum et vitam hanc momentaneam profundere, ut eos, qui Christi sanguine redempti sunt, in sempiternam et immortalem vitam perducant.

16. De renovatione votorum.

Vovete et reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu ejus affertis munera (Ps. 75, 12).

Exhortatur omnes Spiritus Sanctus, qui offerunt Deo munera bonorum desideriorum et operationum in cir-

cuitu Dei, et illos, qui habent Deum in medio sui et propterea illi placent, ut nihilominus voveant et reddant Domino, tanquam perfectius aliquid facturi. Etenim vovere Deo paupertatem, castitatem et obedientiam in religione utilissimum prorsus est:

1. Quia per hujusmodi vota arctius ligat homo suam voluntatem et intellectum cum Deo ipsumque Deum sibi quodammodo adstringit ad gratiam amplius largiendam.

2. Reddit liberum suum arbitrium magis promptum ad bene operandum, dum illud per vota confirmat.

3. Quia diabolo et hostibus aliis aditum præcludit, ne sic sæviant, sicut solent in illos, qui non voverunt.

4. Quia per vota procurat, ut opera sua sint magis meritoria coram Deo, dans non solum fructus bonorum operum, sed cum fructibus ipsam arborem.

5. Quia per hæc vota quam maxime similis fit Christo, Angelis et omnibus Sanctis, in quibus hæc consilia evangelica elucebant.

Reddere dicitur vota, qui vel complet ea vel renovat. Requirit autem nostra miseria, ut quam frequentissime bona desideria vel vota renovemus, si persistere velimus in bono, et in hoc sane Societas nostra cum Ecclesia sancta convenit, quod, sicut Ecclesia frequentissime renovat memoriam passionis Domini, in qua tota nostra salus est, sic et Societas nostra vult frequenter vota nostra renovari, quod in his fundamentum sit sanctitatis nostræ.

Talis votorum renovatio est :

1. Vere spiritualis valdeque pretiosa oblatio in conspectu Dei et Sanctorum omnium, quorum idcirco mentionem facimus in ipsa vovendi formula. Conferri autem potest hæc oblatio, ut mihi videtur, cum illa prima oblatione in Evangelio facta per Magos, quos ad Christum quærendum excitavit nova stella lucens in Oriente, quos impedire non potuit cum suis sociis versutus Herodes, qui et patriam et domos suas reliquerunt, qui cum labore et cura et tentationibus Christum pauperem quæsiverunt, qui, ut vere fidei et devotionis suæ testimonium ederent, supplices Christum triplici munere honorarunt hocque meruerunt, ut ab hostibus illæsi servarentur et ad suam regionem prospere reverterentur.

2. Est oblatio incomparabilis. Legimus et alias oblationes Deo factas a fidelibus, qui in Scriptura laudantur et a Deo benedicuntur. Obtulit Abel de pinguedine animalium (Gen. 4, 4), et respexit Deus Abel et munera ejus. Obtulit Noe super altare de mundis et immundis animantibus, et odoratus est Dominus odorem suavitatis magnaque promisit offerenti. Obtulit Melchisedech panem et vinum, et Christus ex illius ordine voluit esse sacerdos. Obtulit Salomon in veteri templo plurima dona, et respondit Deus ac reipsa monstravit, illa sibi pergrata esse. Sed longe magis placet Deo hæc oblatio, per quam quisque nostrum plus offert Deo, quam si omne aurum Salomonis vel Israelitarum offerret. Offert enim illi totum mundum,

et quidquid in illo proprii habere sine peccato posset; offert illi non vitulos, boves et alienam carnem, sed seipsum, proprium corpus, non in una parte, sed in omnibus sensibus et membris circumcisum, et animam cum tota mente, toto intellectu et tota voluntate, volens, se totum Deo soli in hac Societate dedicatum et perpetuo consecratum esse. Quid multa? nulla oblatio Deo gratior, Christo conformior, naturæ difficilior et homini perfectior ex parte corporis et animæ potest excogitari; offertur enim arbor non modo cum foliis et fructibus, sed et ipsa radice, scilicet omnimoda voluntate.

3. Hæc renovatio refricat nobis memoriam primæ vocationis, qua eduxit nos Deus ex Ægypto et ad libertatem filiorum Dei nos elegit nosque cum Apostolis liberavit retibus, quibus filii mundi quotidie capiuntur et pereunt per curam temporalium, per voluptates carnis et propriam voluntatem. Proponit nobis Christum velut adhuc juxta mare sæculi ambulantem et nobis dicentem: *Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum* (Marc. 1, 17). *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam quotidie et sequatur me* (Luc. 9, 23). *Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, et da pauperibus et veni, sequere me* (Matth. 19, 21). Renovatio autem est velut responsio, quasi diceremus singuli: Ecce reliquimus omnia et sequimur te, sicut præcepisti, in vera paupertate, castitate et obedientia, non ad tempus, sed ad mortem usque crucis; en meipsum abnego et sequor

te, portans crucem, ut affligam veterem hominem natura superbum, cupidum et carnalia sectantem. Nolo diligere mundum, et quæ in eo sunt, volo, Domine, perfecte sequi te in via angusta, qua ivisti et duxisti Apostolos primosque fideles.

4. Hæc renovatio firma præbet nobis vincula, quibus nos Christo arctius colligemus nostramque voluntatem in sancto proposito confirmemus adversus omnes tentationum ventos. Egemus ejusmodi vinculis ad voluntatem ligandam, quia nihil mutabilius ea, nihil instabilius homine. Quoties una hora mutatur et nunquam in eodem statu permanet! Nonne multi, postquam ad aratrum manum adjecere, retrospiciunt? nonne multi bene incipiunt cum Juda et finiunt male, primam fidem facientes irritam? Quot hodie apostatas cernimus! Non dormiunt hostes, et in terra, non in cœlo versamur, multis et perfectis sæpe labentibus. Vovendo igitur non solum admonemus nos vocationis nostræ, sed etiam, si ex via aberrassemus, nos in viam revocamus, si lapsi, post lapsum resurgimus, si ægroti, medicinam sumimus contra morbos quotidianos, si victi, ad pugnam redimus novamque induimus armaturam ad expellendam cupiditatem et inserendam caritatem, quæ summa legis est et vinculum perfectionis, ad quam tendunt religiosi. Testamur igitur hac renovatione, nos hostes esse concupiscentiæ, non amare, sed odisse mundum, quem reliquimus; non curare, sed mortificare carnem, cui perpetua continentia repugnamus; non studere superbiæ, sed nos velle subesse humiliter aliis, nec

amplius propria niti voluntate. Quid hoc est aliud quam violentum esse hominem, ut vi rapiat cœlum; per angustam viam intrare, ut cum paucis salvemur in patria; sublata cruce, Dominum sequi, mundo sibique mori, ut soli Deo vivamus?

5. Hæc renovatio est nova animæ cum Christo desponsatio et potest conferri iis, quæ a mundi filiis fieri solent in nuptiis. Certus dies ad illas celebrandas constituitur, invitantur amici, præparantur multa in cibis, vestibus et ornamentis, apparent cum veste nuptiali omnes invitati, et ultimum est conjunctio firma et individua sponsi et sponsæ ad mortem usque duratura. Quid ultimum et optimum est in hac visitatione? renovatio nostra, per quam voventes, ut sponsæ, de novo se despondent Christo, immortali sponso, non ad tempus, sed ad mortem fidem suam promittentes et spondentes, eidem penitus se velle adhærere omni tempore, prospero et adverso. Alia, quæ præcedunt, sunt præparatoria quædam et excitantia, ut nuptiæ nostræ majorem habeant honestatem, velut quod repurgamus domum interiorem sordibus per menses aliquot contractis, id quod fit per confessionem generalem; quod graviores maculas abrasas abluimus calidis aquis contritionis et lacrymarum, sicut et Petrus abluit peccatum suum; quod recumbimus in novissimo loco, humiliantes nos, non solum coram Superioribus, sed et coram fratribus, petentes ab illis veniam et suffragia, ut nostras nuptias dignius peragamus die renovationis; quod ornamus nos vestimentis sponso gratis, qui non

curat aurum, argentum et ea, quæ corpus ornant, sed quæ humilitatem interiorem testantur, ut castigare corpus disciplina cum Paulo et fructus pœnitentiæ dignos facere orando et jejunando, sicut Joannis discipuli faciebant juxta magistri sui doctrinam. Quare si lætantur filii mundi in die nuptiarum et libenter se recreant cum sponso, cur tristemur nos et non lætemur potius in die desponsationis, quum sponsus ipse nos visitat et consolatur et carne et sanguine suo nos reficit, quum Angeli nobis ad talem solemnitatem ministrant et favent et optant nobis bona omnia, quum Deipara, ut sponsi Mater, singulare donum petit et impetrat a Filio ad nostrum hunc statum rectius auspicandum et absolvendum, quum tota cœlestis curia cum patronis nostris læte *amen* respondet, nobis voventibus et gratiam a Deo petentibus, et suam benedictionem addunt, quod est: *Viriliter agite et confortetur cor vestrum*, vota vestra scripta sunt in libro vitæ, tantum haustu opus est, ut calicem bibatis, calicem Domini vestri, qui vobis tam benignus et fidelis est, ut tentari vos supra vires non permittat nec vos unquam in vita et morte deserat?

17. De renovatione votorum.

Tria possunt præcipue adferri: De natura votorum; de causis renovationis; de præparatione instituenda.

I. De natura votorum.

Natura voti est, Deo aliquid promittere et reddere.

Votum autem est varium; alius enim vovet castigationem, alius peregrinationem, alius arborem, alius fructum et quidem ad tempus. Nos vovemus hæc omnia, et castigationem non unius anni, sed perpetuo duraturam, ut propter Christum mortificemur tota die. Vovemus, non peregrinationem in Hierusalem vel in montem Dei Horeb, quæ grandis fuit Heliæ, sed in cœlestem civitatem, per arduam consiliorum evangelicorum viam. Vovemus, nos bellaturos, non solum contra inimicos crucis, sed contra nos ipsos et dæmones, et non per annum, sed perpetuo vitæ nostræ tempore. Vovemus, non arbores et fructus novos, sed omnia simul, quæ habemus et habere possemus.

Quomodo?

Decimas rerum omnium offerimus Deo; offerimus, quod cum cœlo et terra commune habemus, cum promittimus paupertatem; quod commune habemus cum iis, quæ vitam habent vegetativam, plantis et animalibus, offerimus per castitatem; offerimus et per obedientiam intellectum, voluntatem, judicium, discursum, quatenus hæc cum angelis habemus communia. Nonne igitur decimas rerum omnium offerimus? Neque solum externa, sed et interna offerimus, ut, in voto paupertatis, concupiscentiam omnium rerum, quæ movent sensum oculorum, ita ut, videntes temporalia, propter Deum contemnamus sensumque internum concupiscendi in nobis extinguamus. Ita cum caro nostra motus et cogitationes inhonestas excitat et species turpes intellectui per phantasiam offert contemplandas,

castitatis promissæ ratio sensum internum opprimit et extinguit hostem, ne consentiat voluntas illecebris propositis, Deo interim offerens cor et corpus immaculatum. Sic cum dicit Superior, *hoc fac*, statim obedientia promissa iterum animum excitat et persuadet, non esse judicandum, an sit utile mandatum, sed statim offert Deo promptitudinem, quia promisimus non ex parte, sed totos nos subesse velle majoribus propter Deum nosque totos dicavimus et debemus obedientiæ. Peccant igitur, qui, quod Dei est, illi suffurantur sibique proprium faciunt.

Ubi nota bonitatem divinam (unde in votis merito confirmamur), quod Deus, nostris bonis non egens, minima etiam sibi a nobis oblata suscipit, perinde ac si summa essent, si recte offeramus, et amplissime bonis æternis eadem remuneratur promittitque reddere centuplum, immo et in hac vita rependit mirabiliter, ut suis pauperibus nihil desit, et sæpe tractentur melius quam divites hujus mundi. Exemplo sit unusquilibet nostrum. Sollicitus de te Pater æternus mundo jubet, ut de necessariis tibi provideat, præparet tibi collegium, reservet in eo cubiculum et in hoc lectum etc. Quodis mundus sic paret Deo propter te, nonne et tu Deo parere debes propter se? alioquin accusabit nos mundus in die judicii dicturus: Domine, dedi his, quod jussisti, sed hi tepidi et ingrati manserunt; parui ego in ædificando collegio, in parandis necessariis, Tu judices, quomodo sint usi tot commoditatibus. Curemus ergo grati esse Deo, per se et per Angelos, per

Superiores, per mundum et elementa nobis quotidie tam multa largienti.

Nota, hæc tria vota sic se habere, ut nullum per se sine fundamento consistere possit. Obedientia simplicem humilitatem et humilem simplicitatem requirit. Venit Superior, dicens doctori: vade ad pueros instruendos. Ille si sit humiliter simplex, non cogitabit se aptum ad majora, sed ibit libenter. Venit Superior ad alium indoctiorem et jubet eum docere in classe. Hic si simpliciter est humilis, non cogitabit, se hoc non posse præstare, sed remittet eventum Domino et sperabit in thesauro obedientiæ. Quis es tu qui judicas? qui scis, quid velit in te facere Deus? cur, modicæ fidei, dubitas de nova gratia, quam Deus propter obedientiam dabit? Sine Deum pro nutu suo hunc mittere in hanc illamve classem et distribuere munera inter aulicos. En mulus et asinus ornantur ad gestandum regem, servi sæpe mutantur et infimi repente exaltantur etc. Castitas pro basi vult divinam caritatem, qua sponsus nobis est Christus per copulam voti castitatis, qui vere sponsam castam diligit et contra. Paupertas sine patientia consistere nequit: *Scio abundare et penuriam pati* (Phil. 4, 12). Si deest tibi aliquid, patientiam habe; si laceratum sit indusium, si vestis incommoda, consolare teipsum et cogita, alius et melior minus habet, et Deus et in majoribus magisque necessariis probat amicos; et habui et aliquando habebo meliora. Nonne ob paupertatem huc

venisti? nonne te totum Deo et obedientiæ dedisti? Ubi priorum Patrum, immo Christi paupertas?

II. De causa renovationis votorum.

1. Hæc iteratur, ut Superior cognoscat vultum pecoris sui et voluntatem, isque dicere possit: salva res est, firmus hic manet in proposito suo, bene se habent omnia.

2. Fit renovatio, ut frater fratrem excitet ad renovationem primi fervoris, utque unus ab altero inflammetur magis ad præcepta divina et humana observanda.

3. Fit renovatio, ut restituatur Deo cum nova oblatione, si quis illi aliquid surripuerit vel ademerit, hicque petat veniam et cum Deo in gratiam redeat et emendationem promittat.

4. Fit renovatio ad confirmandam memoriam obligationis nostræ, quomodo facta vota nos adstringant, ut secundum evangelica consilia ad perfectionem omnem nos extendamus et, mundo ac nobismetipsis mortui, soli Deo vivamus; ad melius ponderandam oblationem tam pretiosam in conspectu Dei et Sanctorum; ad augendam in nobis devotionem et amorem erga Christum.

III. Quomodo ad vota præparatio instituenda?

1. Cogitemus, unde et quo nos Deus vocaverit, et quot ex nobis, nisi vocasset, forte facti fuissent pessimi. Abduxit nos a via tenebrosa et lata et plena periculis in aulam suam et quasi in portum transtulit indignos, prævenit nos gratia, ne cum aliis periremus.

2. Cogitemus, quem fructum fecerimus hactenus, qui forte, post vota toties renovata, non nisi valde modicus est.

3. Proponam cum Dei gratia in posterum emendare vitam et proficere in mea vocatione.

4. Proponam certa emendationis capita cum renovatione conjungenda, ut totus spiritu renover et ad perfectionem connitar ab hoc tempore.

18. Brevis allocutio post renovationem votorum factam 17. Junii 1579.

Renovavimus vota nostra cum proposito quiescendi in præsenti statu, secundum Superiorum dispositionem, paucis intendendi, juxta consilium sapientis, sæpius gratias agendi et laudandi Deum in omni eventu, divinam petendi gratiam et formandi intentiones in particulari majoremque assumendi spiritus libertatem, ne simus servi agendorum. Obtulimus nos velut perpetuum holocaustum in Dei laudem et salutem proximi. Nullum autem sacrificium præstantius, nulla vivendi ratio perfectior eligi potest, nullum exercitium inter homines et Angelos sublimius, quam ubi quis in seipso glorificat Deum et pro suo modulo creaturas ad Deum dirigit et adducit. Ad hunc finem tendit nostra vocatio, et divino imprimis eget præsidio ac virtutum solidarum copia et perpetua vigilantia industriaque in pugnando contra hostes, immo et contra seipsum, ut de seipso quisque tropeum statuat, si velit gnavus et fidelis Christi miles esse ac ejus regnum propagare. Igitur imprimis domet pravas suas cupiditates et perturbationes elidat, quibus natura humana subjecta est, vir-

tutes autem contrarias inserat animo, si illum tranquillum et securum esse velit. Nullam enim pacem et quietem cordis percipient, nisi amorem sui ejecerint seque ipsos expugnaverint ipsarumque perturbationum radices et fibras evulserint et ita virtutum habitum acquisiverint, ut summa cum voluptate et jucunditate cuncta conficiant.

Secundum propositum nostrum est cursus profectus nostri; tantum proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris (De imitatione Christi l. 1. c. 19 et c. 25).

19. Exhortatio pro principio mensis.

Scriptura dicit et probat experientia, Deum omnia fecisse in numero, pondere et mensura (*omnia in mensura et numero et pondere disposuisti*, Sap. 11, 21), et omnia tempus habere, quæ sub cœlo sunt; unde Deus ab initio tempus distinxit, quum fecit luminaria in firmamento cœli et divisit diem ac noctem, et fecit signa, tempora, dies, hebdomadas, menses et annos. *Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub cœlo* (Eccl. 3, 1). Legimus in Exodo, quod Deus statuerit mensem Nisan principium mensium. *Dixit quoque Dominus ad Moysen et Aaron in terra Ægypti: Mensis iste vobis principium mensium: primus erit in mensibus anni* (Exod. 12, 1. 2).

Hæc dixi in principio, ut cogitemus non esse vanum et inutile, quod habeamus annum distributum in varia tempora, ut quilibet annus habeat 12 menses, mensis

circa 4 hebdomadas, et septimana 7 dies, dies 24 horas, et ut non dubitemus, quin hæc distributio temporis possit nobis et fidelibus omnibus ad salutem prodesse. *Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (Rom. 8, 28), omnia, inquit, scilicet bona, quæ Deus agit, et mala, quæ Deus permittit fieri. Nunc autem tantum agemus de principio mensis, quomodo boni et electi sibi possint in bonum vertere hoc tempus et christiana exercitia adhibere, quoties in anno mensis novus incipit. Spero, vos audituros de hac materia eo libentius, quod grata est et prudenti multa cogitanda dare potest.

Quomodo ergo christianus recte et pie mensem incipiet?

1. Gratias agamus omnes sanctissimæ Trinitati pro dono singulari, quod dederit nobis concludere cum pace mensem præcedentem et velit nos cum bona spe incipere novum mensem ad suam laudem et ad salutem nostram. Quisque læto corde dicat: *Te Deum laudamus*, laudando Trinitatem, quod tam liberaliter tot et tanta beneficia hoc mense tribuerit, et in gratiarum actionem offerat illi merita Christi et Sanctorum ejus et meritum cogitationum, verborum, operum et passionum suarum totius mensis præteriti, immo totius vitæ in unione cum meritis Christi et Sanctorum. Acceptet quisque hunc mensem cum timore quasi ultimum tempus pœnitentiæ sibi concessum et simul cum gaudio tanquam tempus gratiæ, quod Deus illi offert ad operandum bonum, simulque se exerceat, in

spe confidendo de Dei gratia sibi tribuenda, et proponat vitam suam renovare, peccata sua relinquere, affectus suos vincere et timoratius et perfectius vivere coram Deo et mundo. Ad hoc invocet auxilium Dei et intercessionem Sanctorum omnium et præcipue eorum, quorum anniversaria dies hoc mense celebratur in Ecclesia, sed non solum eos comprecatores sibi adjungat, sed eos habeat quasi suos doctores et magistros, quos audiat, eorum vitæ exemplis excitet se ad corrigendos suos defectus et ad æmulandas eorum virtutes.

2. Conjungat se cum omnibus electis Dei in cœlo, in terra et sub terra. Convertendo oculos ad cœlum offerat quisque Deo omnem laudem, honorem, gloriam et gratiarum actiones, quæ ab hoc die toto mense tribuentur Deo a Beatissima Virgine, regina cœli, et a novem choris Angelorum nocte ac die cantantium: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus* (Isai. 6, 3).

Offerat omnem laudem, quæ ei tribuitur a sanctis patriarchis et prophetis, justis sacerdotibus Veteris Testamenti et a viginti senioribus, qui procidunt ante sedentem in throno, et adorant viventem in sæcula sæculorum et mittunt coronas suas ante thronum dicentes: *Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam et honorem et virtutem, quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant et creata sunt* (Apoc. 4, 11). Offerat Deo omnem laudem, quæ ei tribuitur a magna turba electorum ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis, qui stant ante thronum

et in conspectu Agni, amicti stolis albis et palmæ in manibus eorum, et qui clamant voce magna dicentes : *Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno* (Apoc. 7, 9. 10), et : *Sedenti in throno et Agno benedictio et honor et gloria et potestas in sæcula sæculorum* (Apoc. 5, 13).

Si Deum vere diligis, opta illi singulis diebus, immo horis, omnem laudem, omne obsequium, quod omnes spiritus angelici et animæ beatæ exhibent divinæ Majestati.

Consideratio cœlestis patriæ et Sanctorum in cœlo cum Christo regnantium, et qui jam tenent, quod nos tantum in spe expectamus, excitet te ad excutiendam pigritiam et ad fortiter pugnandum contra hostes. O quam felix esses, si hoc mense posses templum gloriæ Dei ingredi et cum Sanctis videre et laudare Deum ! *Beati, qui habitant in domo tua, Domine* (Ps. 83, 5).

3. Convertendo oculos ad Ecclesiam super terram, quæ est militans, in qua milites Christi stant in acie pugnantes contra hostes, primum oret pro conversione peccatorum omnium desideretque, ut Angeli in cœlo novum celebrent festum cum gaudio de multorum conversione hoc mense, dicente illis Christo : *Congratulamini mihi, quia inveni oves meas, quæ perierant* (Luc. 15, 6).

Dein conjungat se cum omnibus pueris innocentibus, Deoque eorum offerat innocentiam, et petat pro se gratiam, ut possit integritatem mentis et corporis immaculatam custodire hoc mense, et nulli sit scandalo.

Conjungat se cum omnibus afflictis et miseris et ægrotis; ex corde compatiatur illis, qui habent aliquid patiendum sive corporaliter sive spiritualiter, et illis optet et exoret auxilium a Deo, patre pauperum et afflictorum, ut obtineant consolationem fidei in sua tribulatione et per patientiam in cruce victoriam et coronam.

Conjungat se cum justis omnibus, qui ambulant in via Domini et currunt dilatato corde viam mandatorum; Deo offerat bona eorum opera simulque concipiat propositum novum emendandæ suæ vitæ: in corde per puras cogitationes, sanctos affectus et pia desideria, in ore per verba salutaria, et in opere per observationem officiorum suorum.

Conjungat se cum sacerdotibus, religiosis, verbi Dei prædicatoribus, et offerat Deo omnia eorum missæ sacrificia, omnia eorum opera zeli, quæ facient hoc mense, ut sic possit dicere: *Particeps ego sum omnium timentium te* (Ps. 118, 63).

Conjungat se cum omnibus agonizantibus et feliciter morientibus hoc mense; oret pro illis et simul flagitet a Deo gratiam, ut et ipse possit tandem mori mundo et veteri Adæ et soli Christo vivere.

Paucis, offerat Deo omnium christianorum pia desideria, opera pietatis et misericordiæ corporalis et spiritualis, exercitia orantium, pœnitentium, patientium, laborantium pro Dei gloria, flentium et lugentium; de illis sincere gaudeat, ut sic eorum se participem faciat.

4. Convertendo oculos ad animas in purgatorio detentas, conjungat se cum illis, quæ et ipsæ laudant Dominum, ut vidit et audivit Joannes (Apoc. 5, 13). Laus autem harum animarum est valde perfecta et permixta multis doloribus, quia sunt in carcere, nec possunt inde exire, nisi solverint usque ad ultimum quadrantem, nec possunt esse beatæ, nisi sint immaculatæ. Unde cum Ecclesia debemus hoc mense juvare illas orationibus, suffragiis, bonis operibus, præsertim missæ sacrificio. Est hoc opus fidei, quod exercemus, recte credendo de immortalitate animæ et resurrectione; est opus veræ caritatis debitæ proximo generaliter et specialiter; est opus justitiæ, si forte illis peccandi occasionem dedimus; est opus caritatis nobis debitæ, ut cogitemus de morte et vitam nostram emendemus; est opus gratum Deo ob radicem caritatis, gratum Angelis, qui lætantur de nostra compassione, gratum animabus, quæ solatium et refrigerium accipiunt et pro nobis vicissim orant seque gratas exhibent. Nunquam perit oratio, etsi beato vel damnato applicetur, quia tunc oratio mea in sinu meo convertetur (Ps. 34, 13).

20. Exhortatio tempore visitationis.

Videtur mihi, quod duæ sint partes principales, quæ hoc tempore omnibus in hoc collegio deberent valde commendatæ esse, mihique ansam præbent aliquid disserendi; nempe visitatio hujus collegii per

Rev. Patrem Provincialem facienda et votorum renovatio, quam quisque nostrum solet et debet adjungere. Dicam vero præsertim de visitatione, quomodo sit bene fundata, nobis et collegio utilis et salutifera, et quomodo quisque illam libenter amplecti, magni facere et ea recte uti debeat. Hic duo videntur utiliter consideranda :

Primum, ut agamus Deo gratias, qui nobis dat et conservat hactenus talem Superiorem, cui possimus fidere, et a quo omnia bona expectare debeamus, utpote cum non solum sciat, sed etiam velit et possit ex vera caritate hoc visitare collegium ad majorem Dei gloriam, ob meritum obedientiæ et ad communem omnium et ad particularem singulorum utilitatem et consolationem, nihil optando magis quam omnia in hoc collegio recte constituere et omnes et singulos pro gratia sibi data purgare, illuminare, promovere et perficere in sua vocatione. Simus ergo sicut cives Naïm, glorificantes Deum, quia visitaret plebem suam. Cum Christus illuc venisset et mortuum suscitasset, magnificabant Deum dicentes : *Quia propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam* (Luc. 7, 16). Venit enim haud dubie Christus in suo vicario et offert nobis gratiam singularem, quod toto anno, immo duobus annis proximis non contigit, nos et domum nostram visitando. Simus sicut Zachæus, qui Christum in suam domum venientem lætus excepit, et non sibi tantum, sed et toti domui suæ novam accepit benedictionem, factus ex magistro usurario magnus filius Abrahæ.

Alterum: ne quisquam se ipsum impediat in hac visitatione gratias et multiplicem utilitatem, si voluerimus, adferente. Impediret autem seipsum, qui in hac visitatione simulate et fraudulenter ageret magisque ex timore quam ex amore se huic visitationi subjiceret; qui non candide se Superiori aperiret totumque committeret; qui moleste ferret, quando forte aliquid contra ipsum vel ejus voluntatem statueretur; qui propositum haberet aliquid rogandi aut impetrandi a Superiore suo sine vero spiritu et contra suam utilitatem; item qui magis propriæ voluntati quam obedientiæ inniteretur, neque simpliciter et cum magna fiducia se tanquam ovem duci et regi sineret a suo pastore; item qui ex consuetudine magis quam ex devotione, et foris magis quam intus vellet facere, quæ facere debet erga Superiorem sive in confessione sive extra.

Quomodo se quisque tempore visitationis habere debet?

Magnifaciat visitatorem, sicut Galatæ, cum Paulum accepissent, de quibus ait: *Non sprevistis, neque respuistis; sed sicut Angelum Dei excepistis me, sicut Christum Jesum* (Gal. 4, 14). Agnoscat tempus visitationis, credens, Deum nunc per ipsum Superiorem immediate certius, efficacius et gratiosius operari et adjuvare in omnibus necessitatibus et tribulationibus. Magnopere quisque confidat, se posse fructum capere ex hac visitatione, seque totum applicet quasi ad fortem purgationem animæ suæ, quæ et curativa sit et confortativa et præservativa. Bene cum illis

agitur, qui visitationis suæ tempus cognoscunt, male autem cum negligentibus vel parum curantibus hoc tempus gratiæ. Tantum nobis valet visitatio, quantum voluerimus et nos applicaverimus sicut infirmi ad medicum, oves ad pastorem principalem, filii ad patrem, modo fidei oculis Christum ipsum in Superiore contemplemur.

21. De jubilæo fratribus publicando.

Ut bene tractemus et intelligamus, quæ ad jubilæum acceptandum et consequendum spectant, tres personæ primum nobis sunt considerandæ:

I. Pontifex, qui solus potest dare et dat etiam jubilæum.

II. Superiores, qui nobis declarant pontificis intentionem et voluntatem, ut bene et cum fructu utamur hoc jubilæo.

III. Nos ipsi, ut ex parte nostra oblatæ gratiæ cooperemur et digne illa utamur in principio, medio et fine, nec nos impediamus.

I. Quomodo persona pontificis consideranda?

Hic opus est oculos fidei aperire et Christum ipsum in suo vicario et summo pastore contemplari, quem vult pascere et regere suas oves in terra, cui in persona Petri dixit: *Pasce oves meas* (Joan. 21, 15), et quem constituit dispensatorem domus suæ super familiam suam (Luc. 12, 42), cui commisit thesaurum Ecclesiæ, collectum ex omnibus meritis Christi, Mariæ, Apostolorum, Martyrum omniumque Sanctorum, ut

possit eum libere dispensare, et cui dedit claves regni cœlorum cum plena potestate dimittendi peccata et pœnas peccatis debitas in hac et futura vita pro culpis qualibuscumque, ita ut peccatores a culpa et pœna liberari et Deo perfecte reconciliari possint et sine impedimento salvari. Præterea in Pontifice nostro Gregorio circa jubilæum attendere debemus non solum potestatem, sed et caritatem, qua motus erga Generalem et totam Societatem offert nobis hoc divinum beneficium, ut sic augeat in nobis devotionem et consolationem spiritualem et nos in Dei servitio et spiritu vocationis nostræ confirmet. Unde, si antea debuimus esse grati huic Pontifici, qui multas nobis gratias ab initio hucusque communicavit, nunc multo magis illi sumus obstricti, qui in concedendo jubilæo tam liberalem se exhibet et tam parum a nobis exigit et tam multa offert, quasi dicat : possem a vobis exigere, ut Romam iretis vel magnam pœnitentiam faceretis ad hunc thesaurum consequendum, sed en, potestis manere domi et vobis parvo labore, facili negotio comparare, quod alii multis sumptibus acquirere debent. Quid ergo requirit? 1° cordis contritionem, 2° oris confessionem, 3° quatuor altarium visitationem per quindecim dies, licet in hoc etiam dispenset, et ut quinquies Pater Noster ad quatuor altaria ad quadruplicem ejus intentionem dicatur. Quis potest igitur gravari, immo quis non peccaret hanc gratiam recusando?

II. De persona superiorum.

Circa hoc jubilæum debemus gratiam non solum

Pontifici, sed et Reverendo Patri Generali, qui hoc beneficium a Pontifice pro tota Societate petiit et impetravit, sicut ipse Pontifex in suo diplomate testatur, et qui paternam adhibuit monitionem, ut magis excitaret filios ad bonum et salutarem usum jubilæi. Monet igitur et desiderat, ut quisque se præparet cum magna puritate et diligentia ad hoc, ut non solum in se, sed etiam pro Societate fructum ingentem ex hoc jubilæo reportet et præcipue, ut removeat quisque impedimenta, quæ ipsi in gratia Dei et profectu spiritus possent obesse, quominus digne et perfecte ambulet in sua vocatione. Debemus gratias Patri tam sollicito de filiorum consolatione et profectu, ut etiam fieri velit certior a Superioribus de effectu jubilæi: quomodo et quantum in nobis effecerit, quantum fructum attulerit in domibus et collegiis nostris. Debemus gratiam Generali et Provinciali, quod conforment se voluntati Pontificis in potestate concedenda, ut quisque sibi eligat confessarium quemlibet ex multis designatis a Rectore cujuslibet collegii, et quod talis confessarius absolvere hac vice possit ab omnibus peccatis et in omnibus casibus, non solum Rectori, sed etiam Provinciali et Generali, immo et summo Pontifici reservatis, casu hæresis dumtaxat excepto; quod hujusmodi facultas et gratia etiam se ad scholasticos et domesticos nostros extendat, quando ita visum fuerit Rectoribus, modo id fiat intra duos menses a tempore publicationis. Specialiter etiam debemus Provinciali gratias, qui suadet, ut, qui possunt, aliquod tempus sibi seligant ad oran-

dum et meditandum ultra solitum, nimirum ut ita magis et melius ad jubilæi gratiam sese præparent; unde visum est expedire, ut mane vel vespere tempus meditationis ordinariæ producatur, et ut quilibet cum suo confessario consulat de augendo penso devotionis intra hos quindecim dies, hoc est, usque ad festum Paschatis. Hoc unum est, quod ex parte Rectoris confirmatur, ut voluntati Provincialis rectius satisfiat. Quisque tempestive Rectorem moneat de impedimento, si quod habet, hoc tempore se præparandi et ante Pascha jubilæum consequendi. Quisque suum confessarium eligat, et eum moneat, quo tempore velit confiteri, et cogitet quisque de pœnitentia facienda.

III. Quid cuique faciendum circa jubilæum?

Non est dubium ex præscripto bullæ servanda esse, quæ Pontifex expresse requirit: scilicet contritionem et confessionem, altaria visitanda, rationem temporis quindecim dierum, orationes cum certa intentione recitandas, nisi habeat quis impedimenta, in quo casu cum ipso dispensare possunt Superiores. Sed ista non solum a nobis, sed et a sæcularibus requiruntur, et ipsi ea præstare solent, sicut videmus et audimus. Dico autem, quod nos in nostra vocatione, sicut in aliis rebus, ita etiam in præsenti causa, tenemur ad plura et majora in principio, medio et fine.

In principio quidem opus est nobis viva fide ad considerandas et æstimandas gratias, quæ nobis offeruntur. Est enim summus thesaurus Ecclesiæ, propter quem consequendum homo cuncta sua deberet vendere,

et est inæstimabilis margarita, pro qua defuncti in purgatorio totum mundum, si possent, darent. Est indulgentia plenaria, per quam certificamur, ad nos pertinere Christi promissionem : *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo* (Matth. 18, 18). Est annus sanctus jubilæi, concedens nobis spiritualiter, quod Judaeis datum fuit corporaliter : nimirum ut anno quinquagesimo servi acciperent libertatem, et domini redirent ad suas possessiones, et debitores suis debitis liberarentur, et commune esset gaudium Israelitarum, magnaque libertas et consolatio tam pauperum quam divitum. *Omnia enim in figura contingebant illis* (1. Cor. 10, 11), et in Christianis implentur, qui habent suum etiam jubilæum et annum benedictionis ex Ecclesiæ institutione, et quidem vigesimo quinto quoque anno. Opus est autem hic fide, quia nullus potest comprehendere satis, quid quantumque valeat indulgentia plenaria. Valet enim ad solvenda debita, quæ justitia Dei requirit pro infinitis peccatis, negligentiis, omissionibus et pigritiis nostris, pro quibus in hac vita non possemus satisfacere, seu ad expiandas pœnas peccatis debitas. Jam quanta nos debita habemus, a quibus utique Deus abundantiorem justitiam requirit quam a sæcularibus?

Sedulo nobis cavenda sunt impedimenta occurrentia circa jubilæum. Impedimentum est defectus fidei et parva æstimatio gratiæ oblatæ ; unde multi non percipiunt effectum et fructum optatum jubilæi. Propterea sæpe Judæi a Deo reprehenduntur, quod non agnosce-

rent tempus visitationis, et Christus dicebat Samaritanæ: *Si scires donum Dei* (Joan. 4, 10). Quo magis æstimamus jubilæum, eo promptiores efficimur et diligentiores ad hunc thesaurum acceptandum et fructum ex eo percipiendum. Servare enim præscripta ad lucrandam indulgentiam est opus fidei nostræ erga Deum, est opus obedientiæ erga Ecclesiam et Superiores, est opus justitiæ et caritatis erga nos ipsos, ut parvo labore lucremur multa et magnis nos debitis liberemus.

Impedimentum aliud est frigidam habere voluntatem ad cooperandum gratiæ, quia non consideramus, nec ponderamus defectus nostros, inclinationes, passiones et tentationes nostras, nec propositum serium habemus nota impedimenta removendi, nullam nobis vim faciendo, quemadmodum exigit nostra vocatio. Religioso tali, qui non se convertit toto corde ad Dominum, nec vult offerre Deo cor contritum et fugere impedimenta in via Dei, nec statuit sincere surgere et ire ad patrem et vivere juxta regulas suæ vocationis, non proderit indulgentia jubilæi, quia privat seipsum ejus gratia, quam acquirunt alii bonæ voluntatis. Bona voluntas requiritur; quo melior voluntas, eo perfectior dispositio ad gratiam jubilæi et fructus spirituales annexos consequendos.

Impedimentum demum est defectus perfectæ contritionis de peccatis, non solum in sæculo, sed et in religione commissis; venialia enim et imperfectiones voluntariæ in religioso magis displicent Deo quam credimus. Jam ut plenam indulgentiam consequamur, opus est,

ut de his omnibus perfectam contritionem habeamus. Hæc contritio et conjuncta humilitas interior et exterior nos valde disponit ad perfectam confessionem et ad plenariam indulgentiam consequendam. Quisque ergo in examine conscientiæ seipsum severe judicet, doleat de peccatis, se humiliet coram Deo, Sanctis, domesticis; ad hanc humilitatem nos admonet ratio temporis, in quo Christus seipsum humiliavit usque ad mortem, mortem autem crucis.

22. De bacchanalibus.

Præsens tempus monet, ut non modo cogitemus, sed et loquamur de bacchanalibus. Dicemus de hoc tempore tria:

I. Quod sit tempus lætitiæ pessimæ pro filiis hujus sæculi.

II. Quod sit tempus tristitiæ pro vere timoratis.

III. Quomodo a spiritualibus et maxime a religiosis utiliter et laudabiliter sit observandum.

I. Est tempus hoc lætum mundanis et communi populo; lætitiam enim suam ostendunt variis signis exterioribus, cantilenis, gestibus, tripudiis, spectaculis, larvis, epulis et aliis vanitatibus plus quam alias toto anno. Numquam filii hujus sæculi sunt dissolutiores et leviores quam hisce diebus; bona enim sua expendunt, immo prodigunt; nullus eis modus et finis saltandi, cantandi et luxuriandi; non contenti congenita vultus et corporis sui nobilitate, corpora sua deho-

nestant larvis, vultum tegunt, inusitatas vestes induunt et se quasi in alios transformant, luxu et intemperantia bestiis se pejores exhibent, quæ in cibo et potu tenent modum; noctem vertunt in diem, peccant oculis, auribus, linguis et manibus, clam et palam; quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est dicere (Eph. 5, 12); et ita Deum irritant, Christum, qui eos tam care redemit, ut peccatis mortui justitiæ viverent, iterum crucifigunt, Spiritum Sanctum contristant, ejus templa polluentes et violantes, Angelos tristitia afficiunt, dæmones lætificant, Ecclesiam matrem, quæ eos ad passionem Domini meditandam vocat, irrident, bonos scandalizant, conscientiam suam lædunt et gravant, bona sua dissipant, sanitatem suam pessumdant et vitam abbreviant. Lætantur, cum malefecerint, et exultant in rebus pessimis (Prov. 2, 14), non audiunt bene monentes, gloriantur de sua malitia et nolunt de peccatis suis argui et, si arguuntur, defendunt se, excusant se, dicentes nunc esse bacchanalia. Existimant enim hoc tempore sibi licere omnia, se posse libere peccare, Dei præcepta violare, inhoneste vivere, gulæ et ebrietati indulgere, dæmoni et carni servire, et vitam epicuream degere sicque ethnicam consuetudinem, quæ olim fuit, renovare et stabilire.

Nonne igitur tempus hoc lætum dici potest et est in tot oppidis et pagis pro omni genere hominum cujusvis status et conditionis? Non satis est illis triduo sic lætari, sed mature incipiunt sua bacchanalia et per aliquot septimanas ea celebrant, nec satis explere pos-

sunt insana sua desideria, omne tempus illis breve, omnis sumptus exilis, omnis labor facilis videtur. Dicunt, sicut legimus in libro Sapientiæ (2, 6. 7. 8. 9): *Venite et fruamur bonis, quæ sunt, et utamur creatura tanquam in juventute celeriter. Vino pretioso et unguentis nos impleamus, et non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant, nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra, ubique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, et hæc est sors.*

Nullum tempus anni lætius mundanis, nullum, quo in pluribus locis, tam diu, tot modis gaudium suum significent. Est tempus lætum satanæ, quia bonum mercatum facit; numquam enim minus observatur illud: *Attendite, ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate* (Luc. 21, 34). *Nolite conformari huic sæculo* (Rom. 12, 2). *Abjiciamus opera tenebrarum et induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus, non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis* (Rom. 13, 12. 13). *Videte itaque, fratres, quomodo caute ambuletis: non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt* (Eph. 5, 15. 16). Numquam homines christiani æque ethnici, epicurei, bacchantes in victu, luxu, cum tanta impudentia, cum tot scandalis et tanto damno animarum; numquam magis regnum satanæ dilatatur et confirmatur in mundanis, carnalibus, perfidis, voluntarie peccantibus sine timore, pudore et conscientia. Ah! si nunc viveret Jeremias, quomodo die ac nocte

fleret super Jerusalem, videns populum Dei sic a dæmone violenter agitari et præcipitari in omnis generis flagitia !

II. Est hoc tempus tempus tristitiæ pro vere timoratis. Impletur scilicet nunc illud dictum Christi : *Mundus gaudebit, vos autem contristabimini* (Joan. 16, 20). Est tempus triste vere timoratis, sapientibus et prudentibus Dei filiis, qui sciunt præceptum apostolicum : *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis, quæ sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta* (Rom. 12, 2). *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite* (Eph. 5, 11). Contristantur hoc tempore pii ob offensas Dei, ob violationem præceptorum decalogi, ob multitudinem scandalorum, ob stragem animarum et triumphos satanæ. Quid enim tristius et lamentabilius ipsis, quam videre christianos fratres passim oblitos factæ in baptismo abrenuntiationis satanæ et operibus et pompis ejus, ac se tam turpiter tradentes principi hujus mundi et tam læte illi servientes? Quid ipsis tristius, quam videre fideles fratres factos infideles Deo post acceptam ejus legem, post acceptam cognitionem ejus voluntatis, post tam sancta promissa ei serviendi in justitia et sanctitate? Quantus illis dolor videre christianos tam ingratos esse Christo Redemptori, qui eos suo redemit sanguine et factus est illis via, veritas et vita, ut iterum illum crucifigant, pejores Judæis et Pilati militibus, qui eum tempore passionis suæ multis quidem contumeliis et suppliciis

affecerunt, sed ex ignorantia! *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (1. Cor. 2, 8). Contristantur illi intimo corde, videntes christianos, vocatos in sanctificationem, polluentes corpora sua, quæ sunt templa Spiritus Sancti, et facientes membra sua arma peccati, abutentes omnibus sensibus, quibus Deo et justitiæ servire debebant. Quam triste illis videre filios Ecclesiæ, qui bacchanalibus suis spernunt ordinationes matris suæ et Christi sponsæ, quæ jam a Septuagesima incepit ad vineam nos operarios vocare et ad pœnitentiam invitare, et idcirco cantica lætitiæ sustulit et futuram dominicam passionem et crucem Domini in Evangelio Quinquagesimæ cunctis meditandam proponit, et paulo post cum principio Quadragesimæ deducet filios suos in desertum pœnitentiæ, ut cum Christo in oratione et jejunio contra mundi principem depugnent! Quis pius non doleret hoc tempore nobiles et christianas animas tot lethalibus vulneribus sauciari easque tot sacrificia satanæ immolare, quot mortalia peccata committunt, et quot animas suis exemplis scandalizant et ad peccata pertrahunt? Nonne merito deflenda cæcitas tot falsorum christianorum, qui ore quidem confitentur fidem in Redemptorem, sed opere negant et præbent causam scandali hostibus Ecclesiæ, ridentibus eam et totam christianitatem, dum vident fideles in tanta insania bacchantes, quasi forent cultores Bacchi et Veneris et omnis impietatis, utpote qui nec Deum in cœlo, nec satanam in inferno, nec peccatum in conscientia timeant, in omnia ruentes

flagitia? Nonne igitur jure plangendi tempus hoc dicitur et est, in quo videmus a Christi fidelibus tot et tantas injurias Deo inferri, Christum quasi iterum crucifigi, Ecclesiam affligi, satanæ cultum publice exhiberi et quasi sacrificia immolari, totque millia animarum perire, ita ut mali spiritus cum singulari gaudio triumphent, quod scilicet his diebus plures Christo eripiant animas, quam Ecclesia ipsi per Quadragesimam possit lucrari?

III. Quomodo religiosi possunt utiliter et laudabiliter hoc tempus transigere? Nulli dubium est recte a Paulo dici: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (Rom. 8, 28). Qualem ergo fructum spiritualem haurire possumus ex hoc tristi tempore bacchanalium?

1. Confert hoc tempus, ut quisque nostrum seipsum cognoscat, cognoscat scilicet, utrum spiritum Dei in se habeat, an in ipso adhuc spiritus mundi vigeat. Non enim vere religiosi sunt, qui in se sentiunt inclinationes et desideria et curiositatem ista vana videndi et audiendi, et sibi persuadent, etiam pro ipsis tempus esse gaudendi et fovendi sensualitatem, et ideo tempus libenter perdunt, sine ulla ratione et fine recreationes quærunt et facile murmurant, si quid illis negetur. Non cogitant scilicet, sibi dictum esse: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* (Gal. 5, 24). Quo vero sunt leviores et liberiores, eo minus sunt spirituales et eo magis declinant a regula, quæ præscribit, ut simus mundo et

nobis mortui, amatores mortificationis, et soli Christo vivamus.

2. Monet hoc tempus, ut gratias agamus Deo pro beneficio vocationis, quod vocaverit nos de vana mundi conversatione et collocaverit nos in sancta religione, in qua liberat nos a tot periculis et animæ et corporis, et in qua nobis dat tot lumina, tot gratias, quibus juvamur ad contemnendas et abominandas omnes istas vanitates et sensuum oblectationes, quibus mundani hoc tempore Deum offendunt et conscientiam suam gravant, et in quibus non inveniunt nisi amaritudines, quia *malum et amarum est relinquere Dominum* (Jerem. 2, 19), et *extrema gaudii luctus occupat* (Prov. 14, 13). Si enim salvari volunt, debent peccata sua expiare dolore cordis, confessione oris et gravi pœnitentia, operibus satisfactoriis. Nonne igitur hoc debet jure in nobis confirmare amorem vocationis nostræ, quia in ea replet nos Deus omni gaudio et pace?

3. Prodest hoc tempus nobis religiosis ad compassionem habendam cum cæcis mundi filiis; unde cum Paulo dicere debet quisque: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* (2. Cor. 11, 29); immo cum ipso fleat super inimicos crucis Christi (Phil. 3, 18).

4. Prodest ad orandum pro tot cæcis, qui nec se vident, nec Deum, nec hostes et pericula animæ suæ; clausos enim habent oculos, non solum fidei, sed et rationis; sunt in vinculis satanæ, qui eos tenet cap-

tivos ad suam voluntatem. Dicamus ergo cum Elisæo : *Domine, aperi oculos istorum ut videant* (4. Reg. 6, 20). Sic et Stephanus oravit pro hostibus suis.

5. Prodest ad pœnitentiam faciendam pro miseris ex vero zelo animarum. Sic Moyses pro Israelitis peccantibus non solum oravit, sed et quadraginta diebus jejunavit. Monet Joël sacerdotes : *Accingite vos et plangite, sacerdotes; ululate, ministri altaris; ingredimini, cubate in sacco, ministri Dei mei* (Joël 1, 13). *Inter vestibulum et altare plorabunt sacerdotes et dicent : Parce, Domine, parce populo tuo, et ne des hæreditatem tuam in opprobrium* (Joël 2, 17). Peccata enim, sive parva sive magna sint, impunita esse non possunt, teste Augustino, et divina justitia exigit dignos fructus pœnitentiæ. Hinc pii hoc tempore satisfacere student per humilitatem et opera humilia pro superbis Adæ filiis, per voluntariam castigationem carnis et disciplinam pro impudicis et carnalibus, per jejunium pro gulosis et crapulæ deditis, per silentium et bonum usum linguæ pro garrientibus, colloquia mala miscentibus et jurantibus. Cur autem deficimus in caritate proximis nunc debita, ut nec intime compatiamur, nec orare nec pœnitentiam facere curemus pro tot injuriis Deo irrogatis, pro tot animabus dæmoni servientibus et tempus non solum inaniter perdentibus, sed et peccata peccatis cumulantibus et sic animam perdentibus? Deest nobis zelus animarum, gratissimum Deo sacrificium et medium efficax ad lucrifaciendos peccatores, ad convertendas animas, propter quas Christus

de cœlo descendit, tantumque laboravit et sustinuit, immo et sanguinem suum pretiosum fudit.

Talis zelus fuit in Daniele propheta, qui valde affligebatur et flebat pro peccatis populi sui. Talis zelus fuit in Paulo dicente: *Quotidie morior per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Jesu Domino nostro* (1. Cor. 15, 31), id est periclitabatur omni hora; et: *ego libentissime impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris* (2. Cor. 12, 15). Talis zelus fuit in S. Dominico, qui toties se flagellavit pro conversione peccatorum; talis fuit in S. Mechtildi, quæ, audiens juvenem impudice cantantem, ex Dei zelo et affectu compassionis erga peccatorem, multis modis se cruciavit. Talis zelus fuit in Patre Ignatio et primis Patribus Societatis. Pater Ignatius valde flagrabat amore proximi; inter alia opera caritatis et zeli insigne illud, quod, ut lascivientem a peccato deterreret, media hieme in lacum se conjecerit, prope quem miser erat transiturus, et inde illi justitiæ divinæ gladium capiti ejus impendentem minitatus sit, et tanto quidem zelo, ut ille perterritus ejus minis non solum a flagitio abstinuerit, sed conversus fuerit. Notum est de nostris primis Patribus, quomodo sæpe prædicarint in plateis hoc tempore, ut populum ab excessibus dehortarentur, seipsos flagellando. Hinc regula, ne quis foris pœnitentiam publice faciat. Olim vigebat apud nos mos, ut multi hoc tempore pœnitentias peterent et sibi proponerent aliqua opera pœnitentiæ et pietatis facienda ad Dei gloriam et salutem animarum.

23. Quid faciendum nostris in hoc gravis et publicæ calamitatis tempore ?

De causis et motivis tractandi. Notum est omnibus, quam varia et tristia scribantur, legantur, audiantur, narrentur passim ; varia inde judicia oriri, ut alii sperent bonum progressum, alii metuant infortunia. Terret animos insolitus et vicinus belli apparatus, interior et exterior dissensio civium et senatorum nos sollicitos tenet, magistratus consultant, milites colliguntur, magna fit præparatio exercitus ex utraque parte ; præterea premit difficultas annonæ, male passim christianitas habet in terra marique cum fidelibus et infidelibus et hæreticis, atram commovente satana tempestatem, ita ut non sit dubitandum, Deum velle magnis et terribilibus flagellis nostra et communia peccata merito severe castigare. Recte igitur instituta publica et communis oratio, recte statutum est, frequentiores nunc fieri processiones, recte spiritualis auctoritas exhortatur populum ad pœnitentiam agendam. Quid vero nobis interim faciendum pro nostra vocatione ?

Dico 1. valde cavendum esse, ne propter hæc pericula præsentia et futura nos aliquid amittamus et debiliores in spiritu efficiamur. Hoc autem fieret, si nimium sequeremur communes curiositates in rebus et rumoribus novis audiendis et narrandis sine utilitate, quod etiam in regulis nostris prohibetur ; si inde sequeretur, sicut fieri solet, distractio quædam et torpor

in cultu Dei et oratione ; — si varia phantasmata inde concepta in nobis parerent timorem, anxietatem et, sicut dicunt, *partialitatem*, ut uni parti magis quam alteri simus addicti, quod esset contra Christi præceptum dicentis : *Cum audieritis prælia et seditiones, nolite terreri ; videte, ne turbemini, oportet enim haec fieri ;* si nimiam nobis sumeremus licentiam improbandi res, quæ fiunt, et personas agentes vel adjuvantes. Hæc enim non conveniunt religiosis, mundo mortuis ; relinquamus hujusmodi filiis sæculi. Qui enim de mundo sunt, de mundo loquantur et curent ; nos de mundanis non loquamur, nisi in quantum spectant ad gloriam Dei, bonum religionis et bonum animarum.

Dico 2. prodesse nobis posse et debere haec tempora periculosa, ut ex illis cognoscamus Dei justitiam et iram in peccatis nostri sæculi visitandis et puniendis. Clariora enim in dies apparent signa divinæ iræ, et fortasse numquam ita afflictus fuit christianismus in his regionibus. En tibi magnam et insolitam caritatem annonæ in frumento, vino et aliis vitæ necessariis, crescente rerum omnium pretio, ut multi fame excrucientur et paupertate ad desperationem adigantur ! En incredibilem hæreticorum unionem adversus catholicos et maximum regem Galliæ, ita ut armata manu id tentent, quod antea numquam ausi sunt, magnum congregare exercitum ad suam novam religionem invehendam et ad veterem fidem aperta vi opprimendam ! En astutiam satanæ confœderantis Turcas cum

hæreticis, ut non solum in terra, sed etiam in mari catholici oppugnentur, quod certe nunquam visum est, Turcas scilicet cum hæreticis catholicos armis aggredi uno eodemque tempore!

En flagellum ingens sectariorum, quos permittit Deus vexare et perdere Germaniam et Galliam, immo etiam ab Anglia excurrere in Hispaniam, Portugaliam, Indiam! Nunquam majus ostium apertum fuit hæreticis, nunquam ita audacter erexerunt cornua tantamque vindictæ libidinem exercuerunt erga catholicos tantoque furore devastarunt eorum ecclesias, numquam fuerunt hactenus plures et impudentiores et terribiliores.

Nonne igitur hæc sunt miseranda et terribilia tempora, quibus Deus suam justitiam declarat et agnosci vult? Justo utique et a nobis adorando judicio mundum præsentem flagellat eo gravius, quo plura et majora peccata fiunt a clero et populo in omnibus statibus absque omni timore et pudore. Refrixit caritas et abundat iniquitas, non est timor Dei, non est amor Dei, deest pueris innocentia, virginibus pudor, negligitur a magistratibus justitia, a subditis obedientia, a divitibus misericordia, caritas et pax a populo, periit fidei simplicitas, exulat vetus devotio et patrum disciplina, Dei præcepta posthabentur, aperta vigent scandala, etiam in clero; inde tot desertores et persecutores catholicæ fidei. Vere timendum, ne, sicut regnum Dei a Judæis ad Græcos, et a Græcis ad Germanos transiit, sic etiam a Germanis nunc ad Indos transferatur, et vinea Domini locetur aliis vini-

toribus. Percutit Deus gratiis abutentes suis ; utinam ingrati corde percipiant monitionem Dei et resipiscant, nec sicut insani et immedicabiles ægroti medicinam rejiciant !

Dico 3. prodesse posse nobis hoc tempus probationis, in quo Deus suos electos exercet, ut crescamus in timore Dei, ut per veram pœnitentiam convertamus nos ad Dominum et cum Daniele lugeamus et oremus et confiteamur peccata nostra et populi, dicentes : *Peccavimus, iniquitatem fecimus et recessimus et declinavimus a mandatis tuis et judiciis. Non obedivimus servis tuis prophetis. Tibi, Domine, justitia : nobis autem confusio faciei* (Dan. 9, 5. 6. 7); ut probemus nostram in fide catholica constantiam, nostram patientiam in sustinenda penuria, de necessitate facientes virtutem (*in patientia vestra possidebitis animas vestras*) ; ut probemus nostram caritatem compassivam erga tot catholicos, qui his miserrimis temporibus ab hæreticis indigne tractantur, suis facultatibus orbantur et exulare coguntur et pejus sub illis vivunt quam sub Turcis, sine sacerdotibus, sine sacrificio, sine cultu, sine sacramentis. Prodesse nobis potest hoc tempus, ut excitemus nos ad placandum Deum offensum et ad amovenda ejus flagella comprecationibus, sacrificiis et pœnitentiæ operibus, studio orationis, novo fervore in exercitiis spiritualibus, exacta observatione votorum, regularum, officiorum adimpletione, studio sincero omnimodæ perfectionis juxta vocationem nostram, et denique, ut vero animarum

zelo incensi, adhortemur populum ad pœnitentiam, ad dignos fructus pœnitentiæ faciendos et etiam ad fiduciam et constantiam in fide sincera, ore, opere ac vitæ sanctitate profitenda.

COMMUNES DEFECTUS NOSTRORUM HOC TEMPORE :

1. Sumus reprehensibiles, quod, in tanta miseria constituti, manemus adeo insensibiles, ut ejusmodi asperam visitationem pro communi et vulgari æstimemus. Sic enim multi cogitant : sæpe pugnarunt inter se christiani, nihil novi est, quod bella excitentur ; nec cogitant interim majorem et periculosiorem persecutionem ab inimicis Ecclesiæ nunquam extitisse.

2. Defectus est parum ponderare obligationem, qua tenemur coram Deo et in conscientia, tanto magis succurrere matri Ecclesiæ, quanto magis versatur in necessitate et a summis hostibus confœderatis invaditur, ut timendum sit, ne initium hoc erumpat longius ad alias etiam nationes catholicas invadendas et ad hæreses invehendas in Italiam, Hispaniam et Portugaliam.

3. Defectus est caritatis et zeli, qui nos impedit vel negligentes reddit ad opera illa exercenda, quibus possumus iram Dei avertere et succurrere afflictis. Multi parum orant, plures nihil pati volunt extraordinarii, pauciores dolent ex animo et deplorant mala, quæ religioni inferunt hostes ejus, inimici crucis, in quibus ita potens est satan, ut nunquam antea, quasi cogens catholicos, ut concedant suis ministris facultatem disseminandi suos errores et exercendi

suum ministerium. Gravis profecto et multum reprehensibilis pigritia nostra, si non exhiberemus nos diligentiores sæcularibus ad placandum Deum his miserandis temporibus, cum videamus ante oculos exempla piorum fidelium simul comprecantium in templis, jejunantium, confitentium sua peccata, ad sanctam mensam accedentium aliaque opera pœnitentiæ et pietatis clam vel palam facientium.

4. Defectus est, quod non petimus pœnitentias ad impetrandam gratiam, non solum nobis, sed et Superioribus et toti Societati necessariam hoc tempore. Cum ergo non sit, qui juvare et pugnare pro nobis possit nisi Deus noster, ad eum confugiamus per orationem conjunctam cum spiritu humilitatis et compunctionis. Hoc enim est opus veræ fidei et Deo gratissimæ fiduciæ, opus etiam obedientiæ, justitiæ, caritatis et zeli præclarum et efficax.

Invoca me in die tribulationis, eruam te, et honorificabis me (Ps. 49, 15).

24. De horto novo et de usu æstatis reflorescentis.

Cum debeam aliquid hic dicere et solitam exhortationem aggredi, diu in dubio fui, quid nunc in medium proferre vellem, et tandem apud me statui proponere aliquid de nostro horto et de jucundo hoc tempore. Spero, quod nemo in malam partem accipiet hoc meum propositum.

Habemus hoc commune cum religiosis aliis, quod domus nostra hortum habet adjunctum, sicut antiqui sedulo curarunt, ut quodlibet monasterium vel religiosa communitas suum proprium hortum haberet. Cur ita? Sciebant, arcum semper contentum esse non posse, et spirituales non semper orare posse vel cantare, studere, meditari, contemplari rebusque spiritualibus operam dare, sed recreatione et exercitatione corporali indigere et domi ambulare potius, quam foris circumvagari. Non ignorabant, multiplicem utilitatem inde sequi, cum religiosi horto suo bene utuntur, 1° ut cogitent, se filios esse primi patris Adæ, propter quem Deus initio plantavit hortum et posuit in illo Adam, ut custodiret illum et in eo operaretur, sicut Adam fecisset, etsi nunquam peccasset. 2° Prodest hortus ad memoriam et cognitionem peccati, primum in horto incipientis, cum Adam permisit se vinci et factus est inobediens Deo Deique mandato et sententiam damnationis accepit, et ex horto tandem ejectus venit miser in exilium. 3° Admonet hortus de secundo Adam, qui suam passionem in horto voluit ordiri, factus ibi tristis usque ad mortem, sanguineum sudorem effundens, se Patri ad calicem bibendum offerens, nec alibi volens tradi et ab hostibus comprehendi, ibi demum usque ad vincula suam ostendens obedientiam et peccatum primi Adæ expians. 4° Hæc consuetudo religiosorum etiam valet ad consuetudinem Christi nobis commendandam, qui tam libenter et sœpe in horto versabatur. Ubi orabat Christus

etiam nocte juxta consuetudinem suam, nisi in monte Oliveti, ubi erat hortus? idque sciebat Judas etiam, non alibi nocte Christum quærens cum sua cohorte. Ubi voluit suos orare nisi ibidem? *Vigilate et orate*, inquit. Ubi suam sepulturam elegit? ubi Magdalenæ post resurrectionem apparuit, nec aliter nisi sicut hortulanus, vere seminator ille, *qui exiit seminare semen suum* (Luc. 8, 5)? Hic mos confert spiritualibus, ut se moneant, suæ vocationis proprium esse, ut apta orandi loca et media non negligant et idcirco caveant mundi tumultum et strepitum, utque corda sua tanquam hortum præparent, virentem virtutum virore et gratiæ fructu divitem, in quo libenter ille versetur, qui pascitur inter lilia. Hinc Joannes relinquit parentes et urbem Deoque servit in solitudine; sed et Christus ipse cum discipulis in hortis et campis convenit, orat, prædicat et sua tractat, licet tamen non indigeret recollectione cordis, in signum, quod Spiritus Sanctus pios ducat ad loca solitaria et ad silentii officinas, unde Osee (2, 14): *Ducam eam in solitudinem et loquar ad cor ejus;* et Hieremias: *Sedebit solitarius et tacebit et levabit super se* (Thren. 3, 28). Igitur institutio et usus horti religiosis servire debet non solum ad corporalem sanitatem, sed etiam ad confortationem spiritualem, ad meditationem, orationem et alia exercitia hominis interioris, ad quæ ipsi maxime obligantur.

Quis ergo verus et laudabilis usus horti nostri?

Iturus in hortum, cum venit ad fontem vel illum respicit, moneat se de vere pura intentione visitandi hortum, sicut in omnibus rebus particularibus bonam intentionem formare debemus, ut non tam nostri commodi quam divini honoris causa et cura moveamur (Reg. 17), et in hoc maxime religiosi a sæcularibus differre debent, quibus dici posset : *nescitis, cujus spiritus estis;* quia nesciunt probare spiritus, an ex Deo sint.

Opus ascensu quodam ad hortum, et ita quis dicere vel cogitare posset : *Ecce ascendimus Hierosolymam ;* vel : *Petrus et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam* (Act. 3, 1); item Maria visitans Elisabeth, abiit cum festinatione in montana ; item *Petrus ascendit in superiora , ut oraret circa horam sextam* (Act. 10, 9). Qui vero non est oraturus in horto, debet cogitare de libro sibi oblato et aperto, in quo Deum et se ipsum discat agnoscere. Quot sunt in horto arbores, flores, folia et herbæ, tot sunt folia libri nobis proposita, si legere et intelligere vellemus. Nulla enim est creatura tam vilis, quæ sapienti non ostendat creatorem suum ejusque potentiam, sapientiam et bonitatem; quæ præterea non moneat hominem, ut auctorem suum laudet et amet, cum propter ipsum creata sint omnia in certo numero, pondere et mensura : quædam ad utilitatem hominis, quædam ad delectationem, quædam ad decorem universi. Docent præterea creaturæ hominem Deo præstare reverentiam, gratitudinem, subjectionem et obedientiam

in sua vocatione, et simul arguunt hominis stultitiam, ingratitudinem, inobedientiam, quod contra legem Dei et ordinationem tam multa cogitet, desideret, loquatur et agat sine ratione et spiritu, sine sua et aliorum utilitate, immo cum damno quandoque corporis et animæ. Unde dicere potest : *Jam hiems transiit, imber abiit et recessit, flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit, ficus protulit grossos suos : vineæ florentes dederunt odorem suum* (Cant. 2, 11. 12. 13); et ego maneo frigidus quasi in media hieme ; terra mea, terra cordis mei arida sine aqua ; ego arbor infrugifera, nullos flores ostendo; non fructificavi sicut olea fructifera in domo Dei; væ mihi, redeunte hortulano et quærente flores et fructus in horto suo ! Aliud exercitium in horto erit considerare terram ornatam tot flosculis, herbis, plantis et arboribus hoc tempore, inde recreari oculos et odorem gratum percipi, tantamque esse in his omnibus differentiam, varietatem et pulchritudinem, qualem nullus posset facere artifex vel princeps, etiamsi esset sicut Salomon. Qualis igitur erit status hujus mundi post ultimam resurrectionem ! Tunc oculi non videbunt nisi pulchra et delectantia, aures audient dulce melos, corpora erunt gloriosa, lucida et ornata, sine omni deformitate; justi fulgebunt sicut stellæ; mirus erit concentus omnium lætantium, quia *exultabunt sancti in gloria et lætabuntur in cubilibus suis* (Ps. 149, 5).

Quomodo vero hoc tempus æstivum nobis utile reddemus? Mundani homines frequenter peccant hoc tem-

pore, abutentes Dei donis, quæ nunc copiosius conferuntur quam reliquo anno. Est enim aër purior et jucundior humanæ naturæ et salubrior; nunquam oculi majorem habent voluptatem in campis et arboribus virentibus et florentibus. Tempus commodum ad peregrinandum, laborandum, lætandum et recreandum, domi et foris. Musica est usitatior, nec solum homines, sed etiam jumenta sentiunt æstatem sibi prodesse et suam naturam recreare. Quid autem filii Dei et religiosi? Cavent sibi ab amore et delectatione hujusmodi bonorum externorum et naturalium seque convertunt ad amorem solius breatoris cum debita gratiarum actione pro se et aliis, bonis et malis. Faciunt enim sicut discipuli in Cana, qui, viso miraculo, cognoverunt et secuti sunt Christum. Cogitandum nobis est sæpe de statu mundi post resurrectionem, quando veram æstatem habebimus sine hieme, sanitatem sine infirmitate, juventutem sine senectute, pacem sine perturbatione, conformati Christo in gloria.

APPENDIX.

Meditationes nonnullæ de aliquibus virtutibus Christi 1).

1. De humilitate.

1. Considera, quam humiliter Filius Dei et Deus ipse de cœlo descenderit in virgineum humilis virginis uterum. Ora ipsum pro vera humilitate cordis et labora ad omnem superbiam tuam, quoad fieri potest, radicitus extirpandam, sicut et vanam gloriam et complacentiam, semper tecum expendendo innumeros tuos defectus, et quam parum in virtutibus profeceris.

2. Considera, quam humiliter Christus a Joanne voluerit baptizari, quasi peccator mundatione indigens, qui, purus ab omni labe, omnem omnibus gratiam confert. Humilia teipsum ac omnibus te subjice mortalibus etiam minoribus, qui te instruere et corripere volunt.

3. Considera, quam humiliter Apostolis cordis sui tristitiam indicaverit et humanam suam infirmitatem ostenderit, qui fons lætitiæ in cœlis et terris existit. Ne sis igitur præsumptuosus in tentationibus sive interioribus sive exterioribus, sed te ipsum humilia, quærendo et sequendo sanum aliorum judicium.

---

1) Hisce meditationibus S. Aloysius usus est.

4. Considera, quam humiliter Christus prostratus in terra jacuerit, cum lacrymis orans Patrem, et tam ardenti amore erga nos flagraverit, ut ad satisfaciendum pro nobis sanguinem sudaverit, tametsi in se esset potentissimus et beatissimus Dominus. Unde in omni tribulatione cum humili oratione te convertas ad eum, et ex ipsius amore nulla in re tibi parcas.

5. Considera, quam humiliter Christus voluntatem suam in Patris voluntatem resignaverit, dicens: *Non mea voluntas, sed tua fiat;* et quam humiliter rursus voluerit ab Angelo confortari consolatione, qui solus est totius orbis solatium. Inclina te igitur cum profunda humilitate sub amabili Dei voluntate, et in omnibus, quæ tibi interius vel exterius accidere possunt, humili et resignato animo cœlestem consolationem expecta.

2. De mansuetudine.

1. Quam mansuetum se ostendit mundo, licet inimicissimo, cum innocens parvulus natus esset! Hunc ora pro vera innocentia et cordis mansuetudine.

2. Quam mansuete cum suis Apostolis ambulavit, verbis et factis omnem declarans modestiam erga illos, licet rudes et imperitos! Rursus quam mansuete respondit Judæorum malignis interrogationibus et quæstionibus insidiosis! Et tu mansuete ambula cum omnibus, licet adversantibus, nec verbis nec factis peccans contra mansuetudinem.

3. Quam mansuete suum osculatus est proditorem seque rapi et crudeliter ligari permisit! Et tu illudentibus mansuete et amabiliter occurre, qualiscunque tibi injuria facta videatur.

4. Quam mansuete coram Anna stetit ac interroganti respondit, alapam quoque diram perpessus! Vide, ut duriter respondentibus te mansuetum ostendas, licet rectam tueri causam videaris.

5. Quam mansuete se gessit in occultis poenis atque suppliciis omnibus, cum in domo Caiphæ facies ejus conspueretur, multisque tormentis nulli adhuc revelatis per noctem subjiceretur! Quidquid ergo interius vel exterius patiaris, et si quis tibi occulte molestus esse pergat, cum mansuetudine patere et sustine procul ab omni significatione perturbationis, et æquabilitatem et alacritatem in verbis et factis ostende, propter amorem tanti amici ac sponsi animæ tuæ.

3. De patientia.

1. Quam cito virtutem patientiæ docuit! Adhuc infans circumcisus suum pro nobis sanguinem fudit. Unde omnia in te mala circumcide, et a regulis tuis nunquam deflecte, sed Christi exemplo legem imple, quantumvis hoc naturæ tuæ molestum videatur.

2. Quam patiens ille in omni Judæorum persecutione, in omni inimicorum crudelitate, cum illum lapidare cuperent ac blasphemarent! Et tu in omnibus

adversis esto patiens, quietus, modestus, quidquid etiam inique objiciatur.

3. Quam patiens ille coram Pilato, cum falso et mendaciter accusaretur! Ita licet spernaris et vilis habearis, Christi verbum Pilato dictum cogita: *Regnum meum non est de hoc mundo*; nec honorem hic ullum quære.

4. Quam patienter ille tulit in domo Herodis verba et facta injuriosa, et cum sicut stultus a domo Herodis per plateas reduceretur, nullum verbum respondens! Disce et tu patienter tacere, licet hinc simplex, vilis et rudis a quolibet reputeris.

5. Quam misere alligatus est columnæ sponsus et salvator animæ tuæ, quam dura suscepit flagella, quam patienter fudit sanguinem propter te! Feres igitur et tu confusionem et incommoditatem, ad verba simul et verbera dura paratus, ut adversa omnia æquanimiter sustineas, quidquid talis sponsi amore ferendum est.

4. De obedientia.

1. Tres reges, conspecta stella, mox patriam, regna, opes relinquunt, ad Christum natum quærendum et adorandum se conferunt. Observa tu internas inspirationes, et sequere eas, cum admoneris, voluntatem tuam in omnibus offerens Deo.

2. Quomodo Christus in nullo sibi parcit, ut Patris faciat voluntatem, nascendo in stabulo, et postea

in laboribus, jejuniis, vigiliis, orationibus et congressibus cum peccatoribus! *Meus cibus est*, inquit, *ut faciam voluntatem ejus. qui misit me, ut perficiam opus ejus.* (Joan. 4, 34.) Nulli ergo parcas labori ex obedientia debito vel in proximi auxilium relato, quidquid etiam expendere debeas, quod in tua potestate sit.

3. Quam obediens Christus Patri ad mortem usque, quam subditus Mariæ et Joseph, immo et tortoribus, cum illum induerent purpura et postea exuerent! Ad horum nutum sedit, stetit, prodiit, suumque inclinavit caput, cum coronam spineam vellent imponere. Obtempera tu quoque aliis, si cum bona conscientia et citra peccatum fieri abs te possit; jubentibus ne contradicas aut murmures aut resistas, si quæ petunt aut injungunt molesta.

4. Quam prompte permisit se duci ad populum collectum a Pilato, qui dixit: *Ecce Homo!* In quanta tunc stetit confusione coram omnibus, cum audiret furibundos acclamantes: *Crucifige*! Exerce tu quoque obedientiam in ferenda confusione correctionis et exhibe te benevolum semper, licet tibi inculpabilis videaris.

5. Quam obedienter se inclinavit Christus Deushomo ad mortis crucisque sententiam ab ethnico judice accipiendam! Et tu in molestiis et judiciis hominum, quantumvis duris, obediens mane ad

mortem usque nec age quidquam infideliter, sed sedulo, recogitans illud: *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi datum esset tibi desuper.*

5. De benignitate.

1. Quam benigne et suaviter in Simeonis ulnis puer ille requievit, cum in templo offerretur! Ora, ut in ulnis animæ tuæ quiescat ille dilectus, tibique donet benignitatem amabilem et cordis dulcedinem erga omnes.

2. Quam benigne discipulorum pedes lavit et deosculatus est! Item quam amabiliter Apostolis ac nobis omnibus tribuit seipsum in sacramento Eucharistiæ! Quam amanter in cœna et post cœnam Apostolos est cohortatus! Et tu cunctis citra exceptionem, licet duris et contrariis, benignum te præbe.

3. Quam benigne suscepit impositam sibi crucem tam ponderosam, quam placide portavit pondus peccatorum, quomodo consolatus est plorantes mulieres! Et tu jugum Salvatoris portare non renue cum benignitate et hilaritate, sine murmuratione, licet gravius ferre te putes, quam meruisti. Ne sis sub onere suscepto morosus, non desidera compatientem, sed aliis tu compatere atque succurre, ubi potes vel alii tuam operam petunt aut expectant.

4. Quam benigne jam cruci affigendus tortores suos juvit, cum illi vestes mhærentes vulneribus detraherent! Ita tu benignus esto erga illos, qui

tibi tuos defectus monstrant, quos exuas, et benigne et alacriter te illis offeras, ut te, quo velint, ducant.

5. Quam benigne iterum extendit brachia sua et aspexit tortores, cum cruci manus ejus et pedes affigerent, tamque crudeliter eum crucifigerent. Tu adversariis te benignum ostende et, quæcumque obveniunt, libenter expende et alacriter ad Dei servitium et fratrum subsidium.

6. De caritate.

1. Quanta fuit Christi caritas, qui, ut te regni Patris hæredem faceret, in terra profugus esse voluit aliena, et in magna vivere paupertate, cum adhuc parvulus esset, ob metum Herodis cum Matre fugiens in Ægyptum! *Et tu in omni tentatione fuge diligenter in amabile Christi Cor*, ejusque bonitatem et caritatem tibi propone, et cum illa confer tuam vilitatem, malitiam, infidelitatem, arrogantiam.

2. Quanta caritas omnes ad se convocantis: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos*, et sic paratum se offert et cupit amore nostri omnium et singulorum onera sustinere! Unde magna cum fiducia in caritatis ejus abyssum projice peccate tua, et mox te invenies exoneratum. Labora etiam, ut Dei amorem in te habeas et attrahas; amor enim te promptum reddet ad agendum et sustinendum omnia pro amato.

3. Quam amanter sponsus tuus vires suas omnes in tui amorem consumpsit, cum in ligno crucis penderet ac penitus exaresceret! Cura etiam vires tuas omnes in ejus servitio libenter consumere, et quidquid ejus amore facere potes, tibi leve reputetur, non consumas autem vires tuas in proprio judicio aut propria voluntate aut propriis passionibus seu desideriis.

4. Ex quanta caritate septem verba in cruce protulit, ut habeamus immensæ caritatis, quam in *Corde* gerebat, testimonia! Tu in verbis tuis ipsius amore esto modestus, verax, humilis, maturus et benignus, ut sic probes te verum Dei timorem et amorem in corde gestare.

5. Ex quanto amore et dolore mortem illam acerbissimam tulit! Stude igitur omnem sensualem affectionem in te mortificare ac libenter sustine molestias propter illum amorem, quo Christus pro te mortem acerbissimam elegit ac pertulit.

7. De liberalitate.

1. Christus duodennis in templo voluit præsentari mundo et omnibus declarare se propterea venisse, ut nos per seipsum salvos faceret, suamque nobis liberalitatem demonstraret. Cogita sæpe, quare in mundum veneris, ut nempe totum te deseras et ad Dei cultum te offeras liberaliter, nec tibi parcas.

2. Quam liberaliter Christus *Cordis* sui sanguinem tam pretiosum nobis propinavit, cum sacrum ejus

latus in cruce lancea aperiretur! Tu vicissim te illi gratum ostende, propter ejus amorem etiam, quod naturæ molestum est, illi offerre et liberaliter tradere stude.

3. Quam liberaliter promisit ac dixit omnibus: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat, et fluent de ventre ejus aquæ vivæ!* (Joan. 7, 38.) Hinc esto erga proximum quemlibet liberalis, nec solum verbo, sed facto testare intimam cordis liberalitatem, aut signo saltem, si opere præstare non potes.

4. Adde Virginis ingentem compassionem toto tempore passionis Filii perdurantem, et præcipue, quando eum de cruce depositum accepit in sinum suum et omnia ejus vulnera aspexit, tractavit et lacrymis irrigavit. Et tu Sponsi animæ tuæ passionem et benedictæ Matris compassionem sæpe animo revolve, ut et Filio patienti et Matri propter eum dolenti compatiaris; semperque modestum et maturum te gere absque omni vacillatione.

5. Considera quanto cum dolore Matris et amicorum sepultus fuerit Dei Filius. Conare Domini tui passionem omnem, sicut et vitam, in corde tuo gestare et quasi condere, sæpius eam ruminando; fac et tu sepulchrum conscientiæ tuæ per contritionem et oris confessionem sæpe repurges, ut sit novum; item promptum et liberalem te exhibe ad pœnitentiam faciendam pro peccatis tuis in memoriam passionis Christi.

Rev. Patris nostri Ignatii regulæ spirituales.

1. Nunquam contradicere alicui debes, sive sit cum ratione sive contra rationem, nec Superiori nec æquali nec inferiori; sed semper amplecti id, quod aliis probatur, non te excusando, licet etiam jure possis.

2. Præstes in omnibus rebus magnis et parvis obedientiam cæcam Superioribus, æqualibus et inferioribus, cogitando id te vovisse Domino Deo.

3. Nunquam aspicias defectus aliorum, sed semper paratus esto ad excusandum defectus fratris tui et proximi; contra vero promptus sis ad accusandum teipsum, immo desidera ab omnibus cognosci tam intus quam foris.

4. Non loquaris, nec respondeas, nec audias vel facias quidquam, nec ambules, nisi prius cogites, an placeat Deo, et an sit exemplo et ædificationi proximo.

5. Serva libertatem spiritus in omni loco et coram omni persona, nec habeas respectum ad aliquem, sed semper teneas libertatem spiritus ad opposita, nec unquam in hoc deficias, nec illam libertatem perdas propter quodvis impedimentum vel qualemcumque respectum.

6. Non sis communis et familiaris omnibus indifferenter, sed consule spiritum, ad quem te magis movet ac impellit, et quales et qui sint motus, qui te ad hoc moveant.

7. Exercitare continuo actualiter et mentaliter in exercitiis et desidera haberi stultus et insipiens hominibus, ut sapiens a Deo habearis, ut vel sic contemptis ceteris ipsum lucrifacias. Hoc, inquit, erit studium vestrum omni tempore mane et vespere, quum cubitum itis; legetis ista et postea dicetis: *Miserere*, *Pater noster et Ave*.

8. Omnia oportet agere, ut idem Pater noster dicere solebat, in Domino, in spiritu et veritate, fortiter et suaviter.

Miscellanea spiritualia ex manuscriptis B. P. Canisii collecta.

Tirocinium est lavacrum animæ, ubi deponuntur sordes sæculi; hic tollitur amor mundi, imprimitur vis devotionis, euditur imago Societatis, est novus caminus sanctitatis, et palæstra Christi martyrum.

Verus spiritus societatis est seipsum bene et funditus humiliare et mortificare, ut totus sis Dei, et simul cum hac sincera voluntate omnes omnino homines amplecti, ut salvi fiant, et pro hoc totum se impendere et superimpendere ad Dei gloriam.

Intentio socii jesu, qualis? Omnis mea operatio tali fiat intentione, ut laudem et gloriam Dei magis quam meam salutem et perfectionem desiderem. Deus cor suum dedit animæ, ut vicissim ipsa cor suum donet illi. Omnis cogitatio, locutio et operatio et quidquid sum et possum, divinæ majestati tuæ

unice serviat et ad majorem tui nominis gloriam pure dirigatur.

Domine Jesu, in unione amoris, quo tu ipse humanam naturam in te suscepisti et ad laudem Patris fecisti omnia mortemque ipsam sustinuisti, volo et intendo omnia agere et pati.

Gratissimum Deo facit homo, si omnia sua agat in unione divinæ intentionis, qua Christus omnia egit in terris.

QUÆ DEO SUMME PLACENT?

In religioso quatuor summe placent Deo: 1. mundæ cogitationes, 2. sancta desideria, 3. dulcia ad invicem verba, 4. caritativa opera.

Liber religioso necessarius. Religioso, docto vel indocto, perfecto vel imperfecto, necessarius liber paratus ad manum. Liber is vita Christi est, et solus sufficere posset ad sapientiam, veritatem et virtutem omnem addiscendam.

RELIGIOSUS dives sit in Deo, pauper in spiritu, dulcis in sermone, dulcior in conversatione, peritus medicus ad quamlibet curationem, sublimis in contemplatione, sublimior in humilitate, purus in conscientia, in caritate perfectus.

Ad perfectionem adspirans exerceat se in tribus: 1. in extirpandis perversis inclinationibus, adhibitis contrariis virtutibus, 2. in vincendis repugnantiis, 3. in faciendis omnibus pro amore Dei.

Hominibus nostræ Societatis sunt necessaria:

1. Perfecta indifferentia et resignatio.

2. Obedientia perfecta ob Dei amorem et propter holocaustum Deo semel factum, non ob alium respectum.

3. Moveri ad omnia ex mera caritate, ut ablatis etiam regulis ea, quæ Deo grata forent, exequeremur.

4. Ita agere, quasi totius Societatis ædificatio ex me uno dependeret ac in me sita esset;

5. Ex voluntate Superioris perfecte dependere in obedientia.

6. Orare, ut Societatis spiritus nobis concedatur.

7. Preces solitas et constitutiones et regulas stricte servare nec unquam omittere.

1. AGENDA IN SOCIETATE: Frequenter et diligenter Deum orare, ut nobis concedat spiritum verum et gratiam Societatis.

2. Orationes nostras solitas ac constitutiones et regulas nunquam negligere.

3. Exacte, prompte, libenter, diligenter pendere ex præscripto obedientiæ sanctæ. Hæc in tribus consistit: voluntate, ut libenter obedire velimus; intellectu, ut cognoscamus a Deo nobis esse mandata, quæcumque per Superiores ordinantur ac imponuntur; executione, ut hæc omnia fiant in Domino. Omnia enim, ut Pater noster Ignatius aiebat, oportet agere in Domino, in spiritu et veritate, fortiter et suaviter.

IN SOCIETATE OMNIBUS IMPRIMIS NECESSARIA: caritas magna erga Deum et proximum, devota et humilis oratio, passionum omnium mortificatio, sancta simplicitas cum prudentia conjuncta, magna patientia, frequens communio SS. Sacramenti.

Exercitium cordis, corporis et sensuum.

Optimum cordis exercitium est, Deum toto corde ferventer amare et desiderare atque in meditatione de ipso dulciter cogitare. Utilissimum, quod homo ore facere potest, est laus Dei et cum eo frequens in oratione collocutio. Laudatissimum et Deo gratissimum, quod oculis homo facere queat, sunt amoris lacrymæ et sacræ Scripturæ jugis lectio; aurium vero saluberrimum exercitium est libenter audire verbum Dei et ad obediendum inclinatas et paratas eas esse semper; fructuosissimum, quod manibus peragi potest, est elevatio manuum in oratione et sancta ac spiritualia scribere. Totius corporis exercitium perutile est pœnitentiæ et caritatis erga proximum operatio.

Sex puncta Patris Ignatii valde notanda:

1. Existimare se semper peregrinum et quasi Christi procuratorem;

2. Ambulare semper in maxima sui custodia;

3. Refrænare sensus et visum maxime;

4. Unum idemque facere omne tempus, ut in prosperis et adversis nil ponatur discriminis;

5. Elevare semper mentem ad cœlestia desideria et continuo suum auctorem cœlique gaudia contemplari.

6. Quum aliquo eundum, rogare meipsum, quo eam, cum consideratione loci, personæ, temporis, verborum, gestuum, operum et ceterorum operandorum; postea cogitare, unde veniam, quomodo egerim?

Monita ad proficiendum in vita spirituali.

1. Servare libertatem spiritus in omni loco et actione.

2. Sanctam in Domino hilaritatem et alacritatem nunquam amittere.

3. In omni re et negotio meditando procedere.

4. In omni loco Deum præsentem cernere.

5. Conscientiam integre semper aperire confessario.

6. Conjungere opera nostra et intentionem nostram cum operibus et intentione Christi.

7. Frequenter et libenter orare, sed cum discretione, non ultra vires.

8. Suum nihilum semper agnoscere, sed simul multum confidere de bonitate Dei.

9. Proprio judicio minime fidere.

10. Desiderare habere pauca et se omni creaturæ submittere.

11. Desiderare pati pro Christo.

12. Habere semper cor liberum ab omni affectu erga creaturam qualemcumque.

13. Perfecte observare, quæ a sancta obedientia ordinantur.

14. In omnibus intendere voluntatem Dei et illam cum omni vigore spiritus exequi.

15. Frequentare sacramenta, sed semper cum maxima reverentia.

16. In omni oratione ante omnia gratias agere Deo pro beneficiis innumeris ab eo acceptis.

17. In omni oratione extendere caritatem ad omnes, vivos et mortuos, amicos et male erga nos affectos etc.

INCITAMENTA AD PROFICIENDUM IN VIA DEI:

1. Considera, quamobrem veneris ad religionem, quid tibi proposueris, cur omnia reliqueris; nonne ut Deo servires tuæque saluti et perfectioni vacares? Hic tuus scopus et finis.

2. Quam vane laboras et frustra religiosus diceris, si aliud quæras quam salutem animæ et tuæ vocationis perfectionem!

3. Quantum debes Deo vocanti, acceptanti, benefacienti, exspectanti post tot proposita et vota!

4. Considera, quod Deus videt te intus et foris, omni hora, loco, tempore, officio excitat, pulsat, præcipit, promittit, consolatur, visitat, minatur, instruit tot modis.

IMPEDIMENTA SPIRITUS.

Amor inordinatus tam sui quam creaturarum; nimia sensuum in exterioribus oblectatio; se et sua nimium ex privato quodam amore quærere.

Amor et complacentia sui, occulta quædam elatio mentis ex benefactis.

Amor laudis et gloriæ humanæ: cupimus placere et timemus displicere hominibus.

Imperfecta erga Deum et Superiores resignatio propriæ voluntatis atque judicii.

In affectibus mortificandis negligentia et morositas; inordinata scrupulositas.

Circa externa nimis sollicita occupatio, unde animus distractus non facile se colligit.

In exteriore homine magna negligentia et inconstantia, in oratione incuria, in rebus agendis præcipitantia, in divino servitio tædium, torpor, cordis et sensuum indiligens custodia.

Ex consuetudine sua facere, horas legere, sacrificare.

Fervor sit discretus.

Exornemus animas nostras, ut apta divinæ gratiæ instrumenta simus ad opus illud præstantissimum reducendi animas ad Deum, ultimum ipsarum finem. Excitemus nos, qui remissi in eo fuimus hactenus, nec locum inertiæ relinquamus, rursusque ne in immoderatum fervorem incurramus, sed rationabile sit obsequium nostrum. Honor enim regis judicium diligit, sc. discretionem, ob quod in omni sacrificio sal jubetur offerri. Noli nimium esse justus, ne bonum in malum et virtus in vitium commutetur.

Inductiva ad caritatem mutuam.

Quod sumus 1. ab uno patre geniti; 2. ab una matre nati; 3. una imagine insigniti; 4. uno pretio redempti, sanguine Christi; 5. ex uno fonte renati; 6. una fide illustrati; 7. uno pane aliti; 8. uno spiritu vivificati; 9. uno præmio glorificandi; 10. in una civitate ordinandi.

Obedientia, prima humilitatis filia, ad cœlum via tutissima, quæ ad gratiam quamlibet suscipiendam aptum reddit hominem; gratum imprimis Deo sacri-

ficium, opus exiguum mirabiliter illustrans, ut v. g. si edas, dormias, etc., dum opera grandia, ut abstinentiæ, pœnitentiæ, mortificationis, deturpantur, si ex propria fiant voluntate proprioque sensu. Nihil securius et utilius quam subesse et obedire, sicut et Christus fecit, mirus amator et remunerator obedientiæ. Vera obedientia non considerat, cui, sed propter quem obediatur. Soli ergo Deo præstatur et propter solum Deum; unde Superioris vox perinde ac si a Christo egrederetur, perpendenda est, sive Superior sit mediatus sive immediatus, sive spiritualis, sive corporalis, ut medicus et infirmarius, quorum est corpus regere.

Officium veri religiosi.

Sit in vigiliis sedulus, in oratione devotus, in humanitate profusus, in doctrina præcipuus, in caritate perfectus, in miserando largus, in sermone parcus, in conversatione sanctissimus; sit neglector quietis, inimicus voluptatis, appetitor laboris, patiens abjectionis, impatiens honoris, pauper in pecunia, dives in conscientia, humilis ad merita, superbus ad vitia.

Oratio matutina ad Cor Christi salutandum.

Laudo, benedico, glorifico et saluto dulcissimum et benignissimum Cor Jesu Christi, fidelissimi amatoris mei, gratias agens pro fideli custodia, qua me hac nocte protexisti, et pro me laudes et gratiarum actiones et omnia, quæ ego debebam, Deo Patri incessanter persolvisti. Et nunc, o unice amator meus, offero tibi cor meum velut vernantem rosam, cujus amœnitas

tota die oculos tuos alliciat, et fragrantia divinum Cor tuum delectet.

Offero etiam tibi cor meum, ut eo pro scypho utaris, unde tui ipsius dulcedinem bibas cum omnibus, quæ hac die in me dignaberis operari.

Insuper offero tibi cor meum ut optimi saporis malogranatum in tuo regio condecens convivio, quod comedendo sic trajicias in te, ut de cetero se feliciter sentiat intra te; orans etiam, ut omnis cogitatio, locutio, operatio et voluntas mea secundum beneplacitum tuæ benignissimæ voluntatis hodie dirigatur.

Ad singula opera, quæ incipiuntur, imprime tibi signum crucis, ita dicens: In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Pater sancte, in unione amoris amantissimi Filii tui, tibi commendo spiritum meum.

Ad pulsum horæ vel ad initium operis.

Laudo et glorifico te, dulcissime et benignissime Jesu, in omnibus et pro omnibus bonis, quæ tua gloriosissima divinitas et beatissima humanitas operata est in nobis per *nobilissimum instrumentum Cordis tui* et operabitur in sæcula sæculorum.

Dormiturus *in lecto dicat:*

Oculi somnum capiant, cor ad te semper vigilet: dextera tua protegat famulos qui te diligunt.

Trahat deinde suspirium quasi ex divino amore, dicens: In unione laudis, quæ profluit ex te, Domine Jesu, in omnes Sanctos, suscipe hoc suspirium in suppletionem laudis, qua te laudare tenetur omnis creatura.

Trahat secundum suspirium, dicens: In unione illius gratitudinis, quam Sancti a Corde tuo, Jesu bone, trahentes, gratias tibi agunt pro impensis sibi donis.

Ad tertium suspirium dicat: In unione passionis illius, qua tu, Jesu bone, omnium delicta tulisti, pro peccatis meis suspiro.

Ad quartum ita: Suspiro in affectu et desiderio omnis boni, quo indigent homines ad laudem Dei et utilitatem sui, suspiro etiam in unione desiderii divini, quod tu, Jesu bone, in terris pro humana salute habuisti.

Ad quintum: Suspiro in unione omnis orationis, quæ ex divino Corde tuo, bone Jesu, in Sanctos omnes profluxit, et pro salute omnium tam vivorum quam mortuorum; desidero etiam ut omnem mei hac nocte dormientis spiritum tali intentione tractum et ad te emissum suscipias. — His quinque suspiriis munitus feliciter obdormies, et qui votis amantis animæ nihil negare potest, in sua divina virtute complebit illa desideria. Quid minus homo facere potest quam gemere vel suspirare? et tamen ubicunque fuerit, suis suspiriis, si velit, Deum ad se quodammodo trahit. Omnibus rebus parabiliorem se fecit Deus. Quid minus aut vilius filo vel festuca? quæ voluntate tamen hominis acquiri non possunt. At Deum ipsum homo sola voluntate ac uno gemitu habere et ingemiscendo ad se attrahere potest. Unde Psal. 11: »Propter miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exurgam". Surgente autem Christo, annon Sancti omnes pariter surgunt, offeren-

tes in consolationem gementis animæ omne servitium, quod in terris agendo vel patiendo exhibuerunt in laudem æternam Deo, ac gratiam illi impetrantes, qui in paupertate sperans ad Deum ingemiscit. Quod si gemitus unus tam excellenter a Deo acceptatur, ut Christus etiam ipse pro anima illa Patri laudes, vel quidquid desiderat, offerat ac pro ea suppleat, quomodo tristitia pauperi ulla remanebit?

Adnotatio editoris.

Ex his exhortationibus B. Petri Canisii, discipuli S. P. N. Ignatii, patet, quam carus nostris, vel ab ipso Societatis Jesu initio, cultus SS. Cordis fuerit. Etenim ex B. Petri admonitione socii nomen Jesu, quo sunt insigniti, cordi sic habere debent infixum, ut frequenti de Christo meditatione suam voluntatem cum ejus Corde uniant (p. 181). Præcipue considerent tristitiam Cordis Jesu (p. 434); proponant sibi amabilis hujus Cordis bonitatem et caritatem (p. 440); recogitent septem verba in cruce prolata, testimonia immensæ caritatis, quam in Corde gerebat (p. 442); imitentur liberalitatem, qua Christus Cordis sui sanguinem tam pretiosum nobis propinavit (p. 442); intentio sociorum Jesu ea sit, ut, quemadmodum ille nobis Cor suum dedit, ita ipsi suum illi donent, ideoque omnia in unione illius caritatis et intentionis, qua Christus omnia egit, et ipsi perficiant (p. 445, 446), et in unione illius gratitudinis, quam Sancti a Corde

boni Jesu trahunt, pro impensis sibi donis gratias agant (453); nidificent in foraminibus petræ (p. 195), et in omni tentatione fugiant in amabile Christi Cor (p. 441). Ipse B. Pater diem incipiebat oratione matutina *ad Cor Christi salutandum* (p. 452); et ultimum suspirium, quo diem claudebat, in idem divinum Cor dirigebatur. Quin etiam ad omnem pulsum horæ et ad initium singulorum operum laudabat dulcissimum et benignissimum Jesum pro omnibus bonis, quæ per nobilissimum instrumentum Cordis sui in nobis operatus est et operabitur in sæcula sæculorum (p. 453). Hanc vero tenerrimam devotionem ex ipso divino Corde hausit mirabili visione, quæ ei, quum professionem coram S. P. N. Ignatio d. 8. Sept. 1549. facturus esset, ostensa est; quam ipse in *testamento ante mortem conscripto* his verbis refert:

»Tu tandem, velut aperto mihi Corde sanctissimi corporis tui, quod inspicere coram videbar, ex fonte illo ut biberem, jussisti, invitans scilicet ad hauriendas aquas salutis meæ de fontibus tuis, Salvator meus. Ego vero maxime cupiebam, ut fluenta fidei, spei, caritatis in me inde derivarentur. Sitiebam paupertatem, castitatem, obedientiam; lavari a te totus et vestiri ornarique postulabam. Unde, postquam Cor tuum dulcissimum attingere et meam in eo sitim restinguere ausus fueram, vestem mihi contextam tribus e partibus promittebas, quæ nudam protegere animam possent et ad professionem hanc maxime pertinerent, erant autem pax, amor et perseverantia. Quo salutari

indumento munitus confidebam, nihil mihi defuturum, sed omnia in gloriam tuam successura."

Hanc igitur saluberrimam devotionem, a B. Petro Canisio ex ipso SS. Corde haustam et a S. P. N. Ignatio, cui ille visionem suam haud dubie aperuit, confirmatam, nos quoque, RR. PP. et FF. in Chr. carissimi, eodem studio et simili fervore exerceamus, ut immensæ benedictionis, quæ inde in illum derivata est, participes fieri possimus. Ex hoc enim sacratissimo fonte fluenta illa gratiarum traxit Germaniæ Apostolus, quibus perfusus et ipse ad perfectionis apicem pervenit et innumerabiles animas Christo lucrifecit.

INDEX.

—⊗⊗—

I. EXHORTATIONES DE REGULIS ET DE REBUS AD REGULAS PERTINENTIBUS.

1. Exhortatio de regulis et procœmio (reg. 1). 1
2. De fine Societatis (reg 2). 6
3. Explicatio regulæ octavæ Summarii 12
4. De tribulatione (reg. 11). 16
5. De tentationibus dæmonis et de mediis ad eas vincendas (reg. 14). 20
6. Exhortatio ad sequendum Christum ducem in pugna contra dæmonem 24
7. Prima exhortatio de virtutibus (reg. 16). . . . 31
8. De spiritu et zelo fidei 36
9. De spe et confidentia. 40
10. De dignitate et excellentia caritatis et ejus signis. 50
11. De inductivis ad amandum Deum et de modo et mediis. 56
12. De impedimentis caritatis submovendis 65
13. De humilitate et gradibus humilitatis. 72
14. De industria vel arte qua quis parvo labore multum lucrifacere possit (reg. 18). 78
15. De examine particulari 85
16. De solatiis et præsidiis servorum Dei, quibus se confortent in pugna spirituali 89
17. De tribulatione interiore et exteriore. 93
18. De causis spiritualem nostrum progressum impedientibus et de industriis ad proficiendum . . 98
19. Impedimenta profectus 102

20. Signa deficientium religiosorum. 103
21. De caritate proximi 104
22 et 23. De oratione (reg. 21). . . . . 110—118
24. De laude Dei 129
25. De tribus votis in genere 133
26. De paupertate (reg. 25). 135
27. De castitate (reg. 28). 140
28. De obedientia (reg. 31). 144
29. De mortificatione necessaria (reg. 48) 150
30. De corpore gubernando 155

II. EXHORTATIONES DE FESTIS PER ANNUM OCCURRENTIBUS.

1. Exhortatio de Adventu Domini. 160
2. De Natali Domini. 166
3. Pro feriis Natalitiis 169
4. De nomine Jesu 177
5. De jejunio quadragesimali 184
6. De pie recogitanda et recolenda passione Domini. 190
7. De Paschate 195
8. De signis hominis spiritualis (Tempore Paschatis). 201
9. De Pentecoste 205
10. De incomparabili et plane divino dono Eucharistiæ. 211
11. De missa 221
12. De cultu Beatæ Virginis. 230
13. De Angelis 243
14. De cultu Sanctorum 246
15. De laudabili et utili more eligendi sanctos patronos menstruos 252
16. De Patre Ignatio 255

III. EXHORTATIONES DE ORATIONE DOMINICA.

1. Pater noster, qui es in cœlis 261
2. Sanctificetur nomen tuum 264

3. Adveniat regnum tuum 263
4. Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra. . . 268
5. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie . . 275
6. Et ne nos inducas in tentationem. 279
7. Sed libera nos a malo 283

IV. EXHORTATIONES IN RENOVATIONE VOTORUM ALIISQUE QUIBUSDAM OCCASIONIBUS HABITÆ.

1—17. De renovatione votorum 287
18. Brevis allocutio post renovationem votorum factam 17. Junii 1579 400
19. Exhortatio pro principio mensis 401
20. Exhortatio tempore visitationis. 406
21. De jubilæo fratribus publicando 409
22. De bacchanalibus 415
23. Quid faciendum nostris hoc gravis et publicæ calamitatis tempore? 424
24. De horto novo et de usu æstatis refloreseentis. . 429

APPENDIX.

MEDITATIONES DE VIRTUTIBUS CHRISTI PRO SINGULIS DIEBUS HEBDOMADÆ.

1. De humilitate 435
2. De mansuetudine 436
3. De patientia. 437
4. De obedientia 438
5. De benignitate 440
6. De caritate 441
7. De liberalitate 442
Sententiæ S. P. Ignatii et B. Petri Canisii . . 444
Adnotatio editoris de SS. Cordis Jesu cultu a B. Petro Canisio exercito. 455

060.23
C 153
15672
CANISIUS P

AUTHOR
Exhortationes Domesticae

TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	Sprague	JAN 5
	Bischoff	FEB 10
	Nuth	
	Ford	
	Foy	
	Ford	DEC
	Kray	M
	Wiener	
	Kra	
	Wi	

15672